COLLECTIO PRECUM

AD USUM CLERICORUM SEMINARII ARCHIEPISCOPALIS PRAGENSIS

Non solum oremus, sed ita oremus, ut exaudiamur.

S. Joan. Chrysost in Ps. VII.

PRAGAE MCMXXX

SUMPTIBUS SEMINARII ARCHIEPISCOPALIS

IMPRIMATUR

Pragae, die 16. Aprilis 1930.

† FRANCISCUS,
archiepiscopus.

PRECES COTIDIANAE

JESU CHRISTE, FILI DEI VIVI,
Lux mundi, te adoro, tibi vivo, tibi morior. Amen.
Ind. 100 d. s. i. d.

VENI, CREATOR SPIRITUS,
Mentes tuorum visita,
Imple superna gratia,
Quae tu creasti pectora.

Qui diceris Paraclitus,
Altissimi donum Dei,
Fons vivus, ignis, caritas,
Et spiritalis unctio.

Tu septiformis munere,
Digitus Paternae dexterae,
Tu rite promissum Patris,
Sermone ditans guttura.

Accende lumen sensibus:
Infunde amorem cordibus:
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.

Hostem repellas longius,
Pacemque dones protinus:
Ductore sic te praevio
Vitemus omne noxium.

Per te sciamus da Patrem,
Noscamus atque Filium,
Teque utriusque Spiritum
Credamus omni tempore.

Deo Patri sit gloria
Eiusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito
Nunc et per omne saeculum. Amen.

Tempore paschali:

Deo Patri sit gloria
Et Filio, qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito
In saeculorum saecula. Amen.

OBLATIO DIEI SS. CORDI

Domine Jesu Christe, in unione illius divinae intentionis, qua ipse in terris per Sanctissimum Cor tuum laudes Deo persolvisti et nunc continenter in Eucharistiae Sacramento ubique terrarum persolvis usque ad consummationem saeculi, ego per hanc diem integram, nulla nec minima quidem parte excepta, ad imitationem sacratissimi Cordis Beatae Mariae semper Virginis Immaculatae, tibi libentissime offero omnes meas intentiones et cogitationes, omnes meos affectus et desideria, omnia mea opera et verba.

Ind. 100 d. s. i. d.

ANGELUS DOMINI nuntiavit Mariae,
℟. Et concepit de Spiritu Sancto. *Ave Maria...*
℣. Ecce ancilla Domini,
℟. Fiat mihi secundum verbum tuum. *Ave Maria...*
℣. Et Verbum caro factum est,
℟. Et habitavit in nobis. *Ave Maria...*
℣. Ora pro nobis, Sancta Dei Genetrix,
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Gratiam tuam, quaesumus, Domine, mentibus nostris infunde: ut qui Angelo nuntiante Christi Filii tui incarnationem cognovimus; per passionem ejus et crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Tempore paschali:

REGINA CAELI, laetare, alleluja;
Quia quem meruisti portare, alleluja,
Resurrexit, sicut dixit, alleluja:
Ora pro nobis Deum, alleluja.
℣. Gaude et laetare, Virgo Maria, alleluja.
℟. Quia surrexit Dominus vere, alleluja.

Oremus.

Deus, qui per resurrectionem Filii tui Domini nostri Jesu Christi mundum laetificare dignatus es: praesta, quaesumus; ut per ejus Genetricem Virginem Mariam perpetuae capiamus gaudia vitae. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

VENI, SANCTE SPIRITUS, reple tuorum corda fidelium, et tui amoris in eis ignem accende.

℣. Emitte Spiritum tuum et creabuntur.

℟. Et renovabis faciem terrae.

Oremus.

Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere; et de eius semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Mentes nostras, quaesumus, Domine, Paraclitus, qui a te procedit, illuminet: et inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem. Qui tecum vivit et regnat in saecula saeculorum. ℟. Amen.

PATER NOSTER, qui es in caelis: sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in caelo et in terra. Panem nostrum cotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem; sed libera nos a malo. Amen.

AVE MARIA, gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus et benedictus fructus ventris tui Jesus. Sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc et in hora mortis nostrae. Amen.

CREDO IN DEUM, Patrem omnipotentem, creatorem caeli et terrae. Et in Jesum Christum, Filium eius unicum, Dominum nostrum: qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine, passus sub

Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus: descendit ad inferos; tertia die resurrexit a mortuis; ascendit ad caelos; sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis: inde venturus est judicare vivos et mortuos. Credo in Spiritum Sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam aeternam. Amen.

COR JESU DULCISSIMUM, da mihi, ut te semper ferventius diligam! Ind. 300 d.

Dulce Cor Mariae, esto salvatio mea! Ind. 300 d.

O SANCTE JOSEPH, pater putative Jesu Christi et vere sponse Mariae Virginis, ora pro nobis et pro animam agentibus huius diei (noctis).

PATRONE, cuius nomen meum,
O memor esto mei apud Deum:
Ora pro me, ut semper recte vivam,
Fidemque servem atque pugna vincam. Amen.

ANGELE DEI, qui custos es mei, me tibi commissum pietate superna, illumina, custodi, rege et guberna. Amen. Ind. 100 d.

Ante decubitum.

Jesu, Maria, Joseph, vobis cor et animam meam dono.

Jesu, Maria, Joseph, adstate mihi in extremo agone.

Jesu, Maria, Joseph, in pace vobiscum dormiam et requiescam. Ind. 300 d.

PRO FIDELIBUS DEFUNCTIS

Psalmus 129.

DE PROFUNDIS clamavi ad te, Domine:* Domine, exaudi vocem meam:

Fiant aures tuae intendentes,* in vocem deprecationis meae.

Si iniquitates observaveris, Domine:* Domine, quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est:* et propter legem tuam sustinui te, Domine.

Sustinuit anima mea in verbo eius:* speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem:* speret Israël in Domino.

Quia apud Dominum misericordia:* et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israël,* ex omnibus iniquitatibus eius.

Requiem aeternam dona eis, Domine.

Et lux perpetua luceat eis.

Requiescant in pace. Amen. Ind. 300 d.

Te quaesumus, Domine, animabus igne purgatorii detentis subveni, quas pretioso Sanguine redemisti.

Ind. 300 d.

Pie Jesu Domine, dona eis requiem sempiternam.

Ind. 300 d.

PRECES MATUTINAE I.

Recitatur Hora Prima Breviarii de Dominica vel de Festo.
Oratio praeparatoria ad Meditationem:

IMMENSA MAJESTAS, mi Deus et Domine! ecce ante oculos tuos me indignum peccatorem constituo, teque hic praesentem, omni qua possum reverentia adoro et supplex oro: ne me despicias ob multitudinem iniquitatum mearum, sed ut inveniam gratiam et misericordiam in oculis tuis, ut veritates et leges tuas divinas digne meditari valeam, et audiam, quid loquaris in me, Deus, affectuque ardentissimo omnia, quae voluntatis ac beneplaciti tui sunt, cognoscam atque complectar, deinceps vero opere ipso compleam, quaecumque ad salutem et perfectionem propriam et alienam et nominis tui honorem et gloriam spectare cognovero. Deus, in adjutorium meum intende, ut per totum meditationis tempus omnes vires et operationes meae sincere ad tuam gloriam tuumque cultum tendant. Amen.

Post sanctam Missam.

℣. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.

℟. A templo sancto tuo, quod est in Jerusalem.

℣. Oremus pro summo Pontifice nostro *N.*

℟. Dominus conservet eum et vivificet eum, et beatum faciat eum in terra, et non tradat eum in animam inimicorum ejus.

℣. Oremus et pro Antistite nostro *N.*

℟. Stet et pascat in fortitudine tua, Domine, in sublimitate nominis tui.

℣. Oremus pro fratribus nostris in vinea Domini operantibus.

℟. Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperantes in te.

℣. Mitte eis auxilium de Sancto.

℟. Et de Sion tuere eos.

℣. Sacerdotes tui induantur iustitiam.

℟. Et sancti tui exsultent.

℣. Oremus pro benefactoribus nostris.

℟. Retribuere dignare, Domine, omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam aeternam.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus. Ecclesiae tuae Deus sanctificator et custos, suscita in ea et praesertim in hocce seminario tuo per Spiritum tuum idoneos et fideles sanctorum mysteriorum dispensatores, ut eorum ministerio et exemplo christiana plebs in viam salutis te protegente dirigatur.

Deus, qui beatum Adalbertum Martyrem tuum atque Pontificem gloria et honore coronare dignatus es: tribue, quaesumus, ut quem salutis aeternae ministrum habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in caelis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

PRECES MATUTINAE II.

SANCTUS DEUS, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, miserere nobis.

Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio in saecula sempiterna, o beata Trinitas.

Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria tua.

Te Deum Patrem ingenitum, te Filium unigenitum, te Spiritum Sanctum Paraclitum, sanctam et individuam Trinitatem, toto corde et ore confitemur, laudamus atque benedicimus: tibi gloria in saecula.

℣. Benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu.

℟. Laudemus et superexaltemus eum in saecula.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione verae fidei aeternae Trinitatis gloriam agnoscere et in potentia majestatis adorare unitatem, quaesumus, ut eiusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Libera nos, salva nos, vivifica nos, o beata Trinitas.

Ind. 5 an. et 5 quadr.

O DOMINA MEA! O Mater mea! Tibi me totum offero, atque ut me tibi probem devotum, consecro tibi hodie oculos meos, aures meas, os meum, cor

meum, plane me totum. Quoniam itaque tuus sum, o bona Mater, serva me, defende me ut rem ac possessionem tuam.

ANGELI, Archangeli, Principatus et Potestates, Virtutes caelorum, Dominationes et Throni, Cherubim atque Seraphim, Dominum benedicite in aeternum.

℣. In conspectu Angelorum psallam tibi, Deus meus.

℟. Adorabo ad templum sanctum tuum et confitebor nomini tuo.

Oremus.

Deus, qui ineffabili providentia sanctos Angelos tuos ad nostram custodiam mittere dignaris: largire supplicibus tuis; et eorum semper protectione defendi, et aeterna societate gaudere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Post sanctam Missam:

℣. Repleti sumus mane misericordia tua,
℟. Exsultavimus et delectati sumus.
℣. Mihi adhaerere Deo bonum est,
℟. Ponere in Domino meo spem meam.

Oremus.

Deus, celsitudo humilium et fortitudo rectorum, qui per Unigenitum Filium tuum ita mundum erudire dignatus es, ut omnis illius actio fieret nostra instructio; excita in nobis Spiritus tui fervorem, ut quod ille

verbo et exemplo salubriter docuit, nos efficaciter imitari valeamus. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Ad B. Mariam Virginem, Matrem Bonorum Studiorum.

O SANCTISSIMA VIRGO MARIA, quae Salvatorem Jesum genuisti, - Lumen aeternum mundo effudisti, - o Mater divinae scientiae, - cuius pia intercessio innumeris mentibus incultis et ignorantibus mirabiliter progredi in scientia et pietate obtinuit, te studiorum meorum praesidem ac patronam eligo.

Per tuam intercessionem, o Mater bonorum studiorum, - Spiritus Sanctus animam meam impleat lumine et fortitudine, - prudentia et humilitate; det mihi voluntatem rectam, intelligentiam, memoriam, facilitatem sufficientem, - docilitatem praesertim mentis et cordis, - ut in omnibus, secundum divinae Sapientiae consilia, progredi possim.

Defende me, o bona Mater, - adversus spiritum superbiae, praesumptionis, vanae curiositatis et inconstantiae; praeserva me ab omni scandalo, ab omni errore, - ab iis omnibus, qui possent fidem meam corrumpere, - luciditatem intellectus, puritatem cordis, pacem animae meae turbare.

Fac, o Maria, - ut, sub tuo patrocinio, semper submissus directionibus et doctrinis sanctae Ecclesiae, Matris meae, - cum securitate, fortitudine et constantia incedere possim in viam veritatis et virtutis,

- et tandem pervenire ad cognitionem, amorem et aeternam possessionem Jesu Christi, Domini nostri, Filii tui. Amen. Ind. 100 d.

O SANCTE THOMA, scholarum patrone, fidem invictam, charitatem fervidam, vitam castissimam, scientiam veram a Deo nobis obtine per Christum Dominum nostrum. Amen.

ADESTE NOBIS pariter Patroni nostri singulares: *N.*, *N.* et vos, quorum memoria hodie agitur, quorum reliquiae hic asservantur necnon Sancti et Sanctae Dei omnes, auxiliatricem nobis manum porrigite, incautos monete, errantes in viam reducite, ut cuncta nostra proposita fideliter exsequamur. Amen.

Capitulum. Apoc. I.

Gratia vobis et pax ab eo, qui est et qui erat et qui venturus est, et a Jesu Christo, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum et princeps regum terrae, qui dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. - Tu autem Domine, miserere nobis.

℟. Deo gratias.

Dominus nos bene✝dicat et ab omni malo defendat et ad vitam perducat aeternam.

Et fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace. Amen.

PRECES MATUTINAE III.

Psalmus 62.

DEUS, DEUS MEUS,* ad te de luce vigilo.

Sitivit in te anima mea,* quam multipliciter tibi caro mea.

In terra deserta, et invia, et inaquosa:* sic in sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam et gloriam tuam.

Quoniam melior est misericordia tua super vitas:* labia mea laudabunt te.

Sic benedicam te in vita mea:* et in nomine tuo levabo manus meas.

Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea:* et labiis exsultationis laudabit os meum.

Si memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te:* quia fuisti adjutor meus.

Et in velamento alarum tuarum exsultabo, adhaesit anima mea post te:* me suscepit dextera tua.

Gloria Patri et Filio:* et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, et nunc et semper...

℣. In Deo salutare meum et gloria mea.

℟. Deus auxilii mei, et spes mea in Deo est.

Oremus.

Deus, qui diem discernis a nocte, actus nostros a tenebrarum distingue caligine, ut semper, quae sancta sunt, exsequentes, jugiter in tua luce vivamus. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Ante Meditationem.

Omnipotentia Patris, adjuva fragilitatem meam, et e profundo miseriae eripe me.

Sapientia Filii, dirige cogitationes, verba et actiones meas omnes.

Amor Spiritus Sancti, esto cunctarum animae meae operationum principium, quo iugiter sint divino beneplacito conformes. Ind. 200 d.

Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me, Domine; quia mandatis tuis credidi. Ind. 300 d.

Post sanctam Missam.

℣. Exaltabo te, Deus meus rex.

℟. Et benedicam nomini tuo in saeculum saeculi.

℣. Exsurge, Christe, adjuva nos.

℟. Et libera nos propter nomen tuum.

Oremus.

Exaudi, quaesumus Domine, supplicum preces, et devoto tibi pectore in hoc seminario nostro famulantes, una cum Antistite nostro N. totiusque archidioeceseos clero perpetua defensione custodi, ut nullis perturbationibus impediti, liberam servitutem tuis semper exhibeamus officiis. Per Christum D. n.

O DIVINUM COR JESU, praesta, quaeso, animabus purgantibus requiem aeternam, hodie morituris gratiam finalem, peccatoribus veram paenitentiam, paganis fidei lucem, mihi meisque omnibus tuam benedictionem. Tibi ergo, Cor Jesu piissimum, omnes

has animas commendo et pro ipsis tibi offero omnia tua merita una cum meritis beatissimae Matris tuae omniumque Sanctorum et Angelorum atque omnibus Missarum sacrificiis, sacris Communionibus, orationibus et bonis operibus, quae hodie in toto christianorum orbe peraguntur. Ind. 100 d. s.

O DOMINA MEA, Sancta Maria, me in tuam benedictam fidem ac singularem custodiam et in sinum misericordiae tuae, hodie et cotidie et in hora exitus mei, animam meam et corpus meum tibi commendo: omnem spem et consolationem meam, omnes angustias et miserias meas, vitam et finem vitae meae tibi committo, ut per tuam sanctissimam intercessionem et per tua merita, omnia mea dirigantur et disponantur opera secundum tuam tuique Filii voluntatem. ℞. Amen. Ind. 200 d. s. i. d.

℣. Sancte *N.* et omnes Sancti, adjuvate nos orationibus vestris pro nobis ad Deum.

℞. Ut secundum eum, qui vocavit nos, Sanctum, et ipsi in omni conversatione sancti simus (1 Pet 1).

Capitulum. 2. Mach. I.

Det Dominus vobis cor omnibus, ut colatis eum et faciatis ejus voluntatem corde magno et animo volenti. Adaperiat cor vestrum in lege sua et in praeceptis suis et faciat pacem. Exaudiat orationes vestras et reconcilietur vobis, nec vos deserat in tempore malo. - Tu autem Domine, miserere nobis. ℞. Deo gratias.

VENI SANCTE SPIRITUS, et emitte caelitus lucis tuae radium. - Veni Pater pauperum, veni dator munerum, veni lumen cordium.

Consolator optime, dulcis hospes animae, dulce refrigerium. - In labore requies, in aestu temperies, in fletu solatium.

O lux beatissima, reple cordis intima tuorum fidelium. - Sine tuo numine nihil est in homine, nihil est innoxium.

Lava quod est sordidum, riga quod est aridum, sana quod est saucium. - Flecte quod est rigidum, fove quod est frigidum, rege quod est devium.

Da tuis fidelibus in te confidentibus sacrum septenarium. - Da virtutis meritum, da salutis exitum, da perenne gaudium. Amen.

℣. Spiritus Domini replevit orbem terrarum.

℟. Et hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis.

Oremus.

Aures tuae pietatis, mitissime Deus, inclina precibus nostris, et gratia Sancti Spiritus illumina cor nostrum: ut tuis mysteriis digne ministrare, teque aeterna caritate diligere mereamur.

Ure igne Sancti Spiritus renes nostros et cor nostrum, Domine: ut tibi casto corpore serviamus, et

mundo corde placeamus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Gratias agimus tibi, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, qui nos de transacto noctis spatio ad matutinas horas perducere dignatus es; te humiliter deprecantes, ut nobis hanc diem sine peccato concedas transire, quatenus usque ad vesperam et semper tibi gratias referamus. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

O MARIA, sine peccato concepta, ora pro nobis, qui ad te confugimus. Ind. 100 d. s. i. d.

O FELICEM VIRUM beatum Joseph, cui datum est, Deum, quem multi reges voluerunt videre et non viderunt, audire et non audierunt, non solum videre et audire, sed portare, deosculari, vestire et custodire.

℣. Ora pro nobis, beate Joseph.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Deus, qui dedisti nobis regale sacerdotium, praesta quaesumus, ut, sicut beatus Joseph unigenitum Filium tuum natum ex Maria Virgine suis manibus reverenter tractare meruit et portare, ita nos facias cum cordis munditia et operis innocentia tuis sanctis altaribus deservire, ut sacrosanctum Filii tui Corpus et Sanguinem hodie digne sumamus, et in futuro saeculo praemium habere mereamur aeternum. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. Ind. 100 d.

Ante Meditationem.

Ad te, Domine, levavi animam meam: Deus meus, in te confido, non erubescam.

Praevenerunt oculi mei ad te diluculo: ut meditarer eloquia tua.

Servus tuus sum ego: da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua.

Faciem tuam illumina super servum tuum: et doce me justificationes tuas.

Adhaesi testimoniis tuis, Domine: noli me confundere.

Post sanctam Missam.

℣. Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui.

℟. Secundum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terrae; justitia plena est dextera tua.

Oremus.

O Creator Sancte Spiritus, adesto propitius Ecclesiae Catholicae, eamque contra inimicorum incursus tua superna virtute robora et confirma, tua caritate et gratia spiritum famulorum tuorum, quos unxisti, renova, ut in te clarificent Patrem Filiumque eius Unigenitum Jesum Christum Dominum nostrum. Amen. Ind. 300 d. s. i. d.

Spiritus Sancte, Spiritus veritatis, veni in corda nostra; da populis claritatem lucis tuae, ut fidei unitate tibi complaceant. Ind. 100 d. s. i. d.

MISERERE NOSTRI, Deus omnium, et respice nos et immitte timorem tuum super gentes, quae non exquisierunt te, ut cognoscant, quia non est Deus nisi Tu, et enarrent magnalia tua. Festina tempus, et memento finis, ut enarrent mirabilia tua et metuant te omnes fines terrae.

℣. Jubilate, omnis terra.

℟. Servite Domino in laetitia.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui non mortem peccatorum, sed vitam semper inquiris: suscipe propitius orationem nostram, et libera paganos ab idolorum cultura et aggrega Ecclesiae tuae sanctae, ad laudem et gloriam nominis tui. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. Ind. 300 d.

VIRGO POTENS, quae cunctas haereses sola interemisti in universo mundo, orbem christianum a laqueis diaboli libera, et respice ad animas diabolica fraude deceptas, ut omni haeretica pravitate deposita, errantium corda resipiscant et ad veritatis catholicae redeant unitatem, te intercedente ad Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen. Ind. 100 d. s. i. d.

VIRGINUM CUSTOS et Pater, Sancte Joseph, cuius fideli custodiae ipsa Innocentia Christus Jesus, et Virgo virginum Maria commissa fuit, te per hoc

utrumque carissimum pignus Jesum et Mariam obsecro et obtestor, ut me ab omni immunditia praeservatum mente incontaminata, puro corde et casto corpore Jesu et Mariae semper facias castissime famulari. Amen. Ind. 100 d. s. i. d.

Sancte *N.* et Sancti Dei omnes, intercedere dignemini pro nostra omniumque salute.

℣. Laetamini in Domino et exsultate, justi.

℟. Et gloriamini, omnes recti corde.

Capitulum. Mich. VI.

Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum et quid Dominus requirat a te: utique facere judicium et diligere misericordiam et sollicitum ambulare cum Deo tuo. - Tu autem Domine, miserere nobis.

℟. Deo gratias.

Benedictio Dei omnipotentis, Patris et Filii et Spiritus Sancti descendat super nos et maneat semper. Amen.



Laudes et gratiae sint omni momento Sanctissimo et divinissimo Sacramento. Ind. 100 d.

Psalmus 83.

QUAM DILECTA tabernacula tua, Domine virtutum:* concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum, et caro mea:* exsultaverunt in Deum vivum.

Etenim passer invenit sibi domum,* et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altaria tua, Domine virtutum:* Rex meus, et Deus meus.

Beati, qui habitant in domo tua, Domine:* in saecula saeculorum laudabunt te.

Beatus vir, cujus est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit,* in valle lacrymarum, in loco, quem posuit.

Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem:* videbitur Deus deorum in Sion.

Domine Deus virtutum, exaudi orationem meam:* auribus percipe, Deus Jacob.

Protector noster aspice Deus:* et respice in faciem Christi tui.

Quia melior est dies una in atriis tuis,* super millia.

Elegi abjectus esse in domo Dei mei:* magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia misericordiam et veritatem diligit Deus:* gratiam et gloriam dabit Dominus.

Gloria Patri et Filio:* et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, et nunc et semper:* et in saecula saeculorum. Amen.

Oremus.

Benignissime Deus, qui nos ad initium huius diei incolumes perduxisti, gratiam, quaesumus, nobis uberem largire, qua adjuvante delicta nostra emendare, vitam sancte instituere et de die in diem magis tibi placére valeamus. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

O Domina mea, o Mater mea! Memento me esse tuum. Serva me, defende me, ut rem ac possessionem tuam. Ind. 40 d. t. q. in tentationibus.

Ante Meditationem.

Concede mihi, benignissime Jesu, gratiam tuam, ut mecum sit et mecum laboret mecumque in finem usque perseveret.

Da mihi hoc semper desiderare et velle, quod tibi magis acceptum est et carius placet.

Tua voluntas mea sit, et mea voluntas tuam semper sequatur, et optime ei concordet.

Sit mihi unum velle et nolle tecum, nec aliud posse velle aut nolle, nisi quod tu vis et nolis. Amen.

De Imit. Christi. Ind. 200 d.

O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus: mens impletur gratia, et futurae gloriae nobis pignus datur.

℣. Exsulta et lauda habitatio Sion.

℟. Quia magnus in medio tui, Sanctus Israel.

℣. Ego autem in Domino gaudebo:

℟. Et exsultabo in Deo Jesu meo.

℣. Repleatur os meum laude,

℟. Ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam.

Oremus.

Domine Jesu Christe, qui in augustissimo Eucharistiae Sacramento temetipsum nobis cotidie praebes cibum divinum ad vitam gratiae servandam atque fovendam: te supplices deprecamur, ut ad tuam caelestem dapem cotidie devote accedentes, vitam gratiae foveamus, venialium culparum antidotum nobis comparemus sicque magis ac magis emundati, sempiternam in caelis beatitudinem consequamur. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

O bone Jesu, fac ut evadam sacerdos secundum Cor tuum. Ind. 300 d.

Sancta Virgo Maria Immaculata, Mater Dei, Mater nostra, tu pro nobis loquere ad Cor Jesu, qui tuus Filius est et Frater noster. Ind. 100 d. s. i. d.

Caelestis Patrone, cuius nomine glorior, semper precare pro me apud Deum: in fide confirma; in vir-

tute robora; in pugna tuere, ut victor de hoste maligno gloriam aeternam consequi merear. Amen.

Ind. 300 d.

℣. Sancte *N.* et omnes Sancti Dei intercedere dignemini pro nostra omniumque salute.

℟. Ut nos mereamur ab eo adjuvari et salvari.

Capitulum. Col. I.

Fratres, non cessamus pro vobis orantes et postulantes, ut impleamini agnitione voluntatis Dei in omni sapientia et intellectu spiritali, ut ambuletis digne Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes et crescentes in scientia Dei, in omni virtute confortati secundum potentiam claritatis ejus, in omni patientia et longanimitate in gaudio, gratias agentes Deo et Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine. - Tu autem Domine, miserere nobis. ℟. Deo gratias.

Vivat Jesus amor meus,
Et Maria Mater ejus.

PRECES MATUTINAE VI.

Ecce Crucem Domini † fugite partes adversae, vicit Leo de tribu Juda, radix David. Alleluia. 100 d. s. i. d.

Adoramus te, sanctissime Domine Jesu Christe, hic et ad omnes ecclesias tuas, quae sunt in toto mundo, et benedicimus tibi; quia per sanctam Crucem tuam redemisti mundum. Ex testamento s. Francisci Ass.

Oremus.

Respice, omnipotens, aeterne Deus, de excelso caelorum habitaculo, ad orationem servorum tuorum, qui sub ortu solis coram throno majestatis tuae se prosternunt, laudantes te et gratias agentes, quod ex placida noctis quiete ad huius diei opus nos resuscitasti. Magna est, Domine, miseratio tua, qua ingratis filiis, qui toties te offenderant, novum spatium paenitentiae concedis, ut amissi temporis jacturam resarcire, peccata emendare et opera virtutum exercere possint.

Humiliter te, Domine, precamur, ut sensus nostros contra peccati illecebras praemunire, linguam nostram refraenare, mentem nostram a vanitatibus saeculi custodire et cor nostrum pravis affectibus expurgare digneris. Da nobis intellectum, quo te, summam Veritatem, cognoscamus, et firma fide amplectamur; imple nos caelesti sensu, quo caduca huius terrae bona contemnentes, ad supernam patriam eluc-

temur; infunde nobis spiritum caritatis tuae, quo te, summum Bonum, super omnia diligamus et omnia detrimentum arbitremur propter eminentem scientiam Jesu Christi, qui tecum vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

Mater amoris, doloris et misericordiae, ora pro nobis. Ind. 300 d. - Pius X.

Ante Meditationem.

Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam, ut mecum sit et mecum laboret, ut sciam, quid acceptum sit apud te, Domine Deus. Sensum enim tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam et miseris Spiritum Sanctum tuum de altissimo.

Oremus. Illo nos igne, quaesumus omnipotens Deus, Spiritus Sanctus inflammet, quem Dominus noster Jesus Christus e penetralibus Cordis sui misit in terram et voluit vehementer accendi; Qui tecum vivit et regnat in unitate eiusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Post sanctam Missam.

℣. Ecce Deus salvator meus, fiducialiter agam et non timebo.

℟. Quia fortitudo mea et laus mea Dominus et factus est mihi in salutem.

DULCISSIME JESU, qui caritate perpetua dilexisti nos, supplices te rogamus, ut in sacrarium Cordis tui nos admittere digneris. In te, Domine Jesu, et pro te solo vivere desideramus, tibique nos totos et

omnes labores nostros offerimus et consecramus. Fac nos, quaesumus, ab omni peccati labe purgatos, a saeculi vanitatibus abhorrēre et sanctissimi Cordis tui virtutibus indui, atque affectibus inflammari, ut digni altaris tui ministri effici mereamur. Amen.

O VIRGO ET MATER SANCTISSIMA, cuius animam in divini Filii tui passione doloris gladius pertransivit, et quae in gloriosa ejus resurrectione perennem triumphantis laetitiam percepisti; impetra nobis supplicibus tuis ita sanctae Ecclesiae adversitatibus summique Pontificis doloribus consociari, ut optatis etiam consolationibus laetificari cum ipsis mereamur, in caritate et pace ejusdem Christi Domini nostri. Amen. 200 d. s. i. d. - Pius X.

Per signum Crucis de inimicis nostris libera nos Deus noster.

℣. Omnis terra adoret te, et psallat tibi.

℟. Psalmum dicat nomini tuo, Domine.

Oremus.

Perpetua nos, quaesumus Domine, pace custodi: quos per lignum sanctae Crucis redimere dignatus es.

Capitulum. 1. Cor. 6.

Empti enim estis pretio magno. Glorificate et portate Deum in corpore vestro. - Tu autem Domine, miserere nobis. ℟. Deo gratias.

Exaudi Domine Jesu Christe preces servorum tuorum, et miserere nobis, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

IN MEMORIAM MORTIS CHRISTI

Feria sexta.

A sexta hora tenebrae factae sunt super universam terram usque ad horam nonam.

Pater noster.

Et circa horam nonam clamavit Jesus voce magna, dicens: Eli, Eli, lamma sabacthani? hoc est: Deus meus, Deus meus, utquid dereliquisti me?

Pater noster.

Jesus autem iterum clamans voce magna, emisit spiritum.

Pater noster.

℣. Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem.

℟. Mortem autem crucis.

Oremus.

Domine Jesu Christe, qui pro redemptione mundi crucis patibulum ascendisti et sanguinem tuum pretiosum in remissionem peccatorum nostrorum fudisti: te humiliter deprecamur, ut post obitum nostrum Paradisi januas nos gaudenter introire concedas. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum.
℟. Amen.

PRECES MATUTINAE VII.

AVE, MARIS STELLA,
Dei Mater alma,
Atque semper Virgo,
Felix caeli porta.
Sumens illud Ave
Gabrielis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Hevae nomen.
Solve vincla reis,
Profer lumen caecis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.
Monstra te esse matrem,
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus
Tulit esse tuus.
Virgo singularis,
Inter omnes mitis,
Nos, culpis solutos,
Mites fac et castos.
Vitam praesta puram,
Iter para tutum,
Ut, videntes Jesum,
Semper collaetemur.

Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spiritui Sancto,
Tribus honor unus. ℟. Amen. Ind. 300 d.

℣. Gloriosa dicta sunt de te, Civitas Dei,

℟. Sicut laetantium omnium habitatio est in te.

Oremus.

Propitiare Domine supplicationibus nostris et intercedente beatissima Virgine Maria caelesti nos protege benignus auxilio, ut actiones nostras et praecedenti gratia tua dirigas et subsequenti comitari digneris, nosque in debito servitio perseverantes sub tuo semper praesidio gaudere concedas. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Bone Jesu, rogo te per dilectionem, qua diligis Matrem tuam, ut sicut vere eam diligis et diligi vis, ita mihi des, ut vere eam diligam. Ind. 100 d. s. i. d.

Ante Meditationem.

Benedictus es, Domine: doce me justificationes tuas.

Revela oculos meos: et considerabo mirabilia de lege tua.

Viam justificationum tuarum instrue me: et exercebor in mirabilibus tuis.

Adhaesi testimoniis tuis, Domine: noli me confundere.

Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam: et custodiam illam in toto corde meo.

Misericordia tua, Domine, plena est terra; justificationes tuas doce me.

O Jesu vivens in Maria, veni et vive in famulis tuis, in spiritu sanctitatis tuae, in plenitudine virtutis tuae, in veritate virtutum tuarum, in perfectione viarum tuarum, in communione mysteriorum tuorum; dominare omni adversae potestati, in Spiritu tuo ad gloriam Patris. Amen. Ind. 300 d. s. i. d.

Post sanctam Missam.

MAGNIFICAT anima mea Dominum:

Et exsultavit spiritus meus: in Deo salutari meo.

Quia respexit humilitatem ancillae suae: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna qui potens est: et sanctum nomen eius.

Et misericordia eius a progenie in progenies: timentibus eum.

Fecit potentiam in bracchio suo: dispersit superbos mente cordis sui.

Deposuit potentes de sede: et exaltavit humiles.

Esurientes implevit bonis: et divites dimisit inanes.

Suscepit Israel puerum suum: recordatus misericordiae suae.

Sicut locutus est ad patres nostros: Abraham et semini ejus in saecula.

Gloria Patri et Filio: et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, et nunc et semper: et in saecula saeculorum. Amen.

℣. Sancta et immaculata Virginitas, quibus te laudibus efferam, nescio:

℟. Quia quem caeli capere non poterant, tuo gremio contulisti.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriosae Virginis Matris Mariae corpus et animam, ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu Sancto cooperante praeparasti, da, ut cujus commemoratione laetamur, ejus pia intercessione ab instantibus malis et a morte perpetua liberemur. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Capitulum. Parab. 8, 32-35.

Nunc ergo, filii, audite me: Beati qui custodiunt vias meas. Audite disciplinam, et estote sapientes, et nolite abjicere eam. Beatus homo, qui audit me et qui vigilat ad fores meas cotidie, et observat ad postes ostii mei. Qui me invenerit, inveniet vitam et hauriet salutem a Domino. - Tu autem Domine, miserere nobis. ℟. Deo gratias.

Oratio s. Francisci Xaverii pro conversione infidelium.

Aeterne rerum omnium effector Deus, memento abs te animas infidelium procreatas, easque ad imaginem et similitudinem tuam conditas. Ecce, Domine, in opprobrium tuum his ipsis infernus impletur.

Memento, Jesum, Filium tuum, pro illorum salute atrocissimam subiisse necem. Noli, queso, Domine, ultra permittere, ut Filius tuus ab infidelibus contemnatur, sed precibus sanctorum virorum et Ecclesiae, sanctissimi Filii tui Sponsae, placatus, recordare misericordiae tuae, et oblitus idololatriae et infidelitatis eorum, effice, ut ipsi quoque agnoscant aliquando, quem misisti, Dominum Jesum Christum, qui est salus, vita et resurrectio nostra, per quem salvi et liberati sumus, cui sit gloria per infinita saecula saeculorum. Amen. Ind. 300 d. s. i. d.

℣. Benedicite Dominum, omnes electi ejus:

℟. Agite dies laetitiae et confitemini illi.

Concede, quaesumus, omnipotens Deus, ut intercessio sanctorum *N.*, *N.* et omnium electorum tuorum nos ubique laetificet: ut, dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus.

Capitulum. 1. Thes. V.

Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia, ut integer spiritus vester et anima et corpus sine querela in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur. - Tu autem Domine miserere nobis. ℟. Deo gratias.

PRECES VESPERTINAE

feria II.

℣. Dirigatur Domine oratio mea sicut incensum in conspectu tuo,

℟. Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.

Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. ℟. Deo gratias.

℣. Benedictus es, Domine, Deus patrum nostrorum.

℟. Et laudabilis et gloriosus in saecula.

℣. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.

℟. Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Revoca tibi in mentem omnia beneficia, quae de manu Dei hodie suscepisti, et gratias age.

Oremus: Deus, qui divitias tuae immensae bonitatis in nobis ostendere non desinis, tibi pro collatis beneficiis gratias agimus, humiliter deprecantes, ut, quod immeritis tribuere dignatus es, semper ad majorem nominis tui gloriam referamus.

Propitiare, Domine, parentibus et benefactoribus nostris et has preces, quas tibi pro incolumitate eorum offerimus, benignus assume, eisque, qui te mo-

vente corporalia et spiritualia beneficia nobis praestiterunt, propter nomen tuum vitam sempiternam retribue. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Veni Sancte Spiritus et mentis nostrae tenebras gratia tuae visitationis illustra, ut defectus nostros cognoscere et sincero corde dolere valeamus.

Redde Domino, supremo nostro Judici, rationem de omnibus actibus tuis huius diei, attendens etiam ad propositum particulare.

Cum corde contrito pete a Deo veniam et remissionem defectuum tuorum, promittens fidelius observare mandata ejus.

Mi Jesu, misericordiam! Ind. 100 d. t. q.

℣. Domine non secundum peccata nostra facias nobis,

℟. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.

Oremus. Deus, cui proprium est misereri semper et parcere, suscipe deprecationem nostram, ut nos et omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

℣. Dignare, Domine, nocte ista

℟. Sine peccato nos custodire.

℣. Miserere nostri, Domine,

℟. Miserere nostri.

℣. Fiat misericordia tua, Domine, super nos,

℟. Quemadmodum speravimus in te.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus. Visita, quaesumus, Domine, habitationem istam, et omnes insidias inimici ab ea longe repelle: Angeli tui sancti habitent in ea, qui nos in pace custodiant, et benedictio tua sit super nos semper. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

SUB TUUM PRAESIDIUM confugimus, sancta Dei Genetrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, sed a periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa et benedicta, Domina nostra, Mediatrix nostra, Advocata nostra. Tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repraesenta.

℣. Dignare me laudare te, Virgo sacrata.

℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Oremus.

Defende, quaesumus, Domine, beata Maria semper Virgine intercedente istam ab omni adversitate familiam, et toto corde tibi prostratam ab hostium propitius tuere clementer insidiis. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Addantur preces pro defunctis sacerdotibus et benefactoribus.

Gratia Domini nostri Jesu Christi, et caritas Dei, et communicatio Spiritus Sancti sit cum omnibus nobis. ℟. Amen.

PRECES VESPERTINAE

feria III.

℣. Vespertina oratio ascendat ad te, Domine.
℟. Et descendat super nos misericordia tua.

O Deus majestatis infinitae, ante conspectum tuum humillime prostrati, Te adoramus, glorificamus et benedicimus, profitentes tuum supremum dominium super nos et super omnem creaturam, et nostram totalem dependentiam et subjectionem. In unione cum omnibus sanctis caeli et fidelibus terrae clamamus: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt caeli et terra majestatis gloriae tuae.

Gratias agamus Domino Deo nostro pro omnibus donis caelestibus et terrestribus, quibus nos hodie cumulavit.

Revoca tibi in mentem beneficia a Deo accepta!

Oremus. Suscipe Domine gratiarum actionem nostram: et praesta, ut quos exaudire et incolumes servare dignatus es, ab omni in posterum adversitate custodias et in tuo sancto servitio confortes. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Spiritus Sancte Deus, cui omne cor patet et omnis voluntas loquitur et quem nullum latet secretum, illumina mentes nostras, ut rite cognoscamus, in quo a viis tuis declinavimus, et move etiam corda nostra ad perfectam detestationem peccatorum.

Nunc discute diligenter conscientiam tuam tum quoad mala, quae commisisti, tum quoad bona, quae omisisti.

„Liber scriptus proferetur, in quo totum continetur, unde mundus judicetur.“ Etiam actus tui huius diei continentur, proferentur, ut judicentur!

Cum salutari confusione dole et detestare vitia tua, proponens emendationem cum gratia Dei.

℣. Domine, averte faciem tuam a peccatis meis.

℟. Et omnes iniquitates meas dele.

℣. Cor mundum crea in me, Deus.

℟. Et spiritum rectum innova in visceribus meis.

℣. Ne projicias me a facie tua.

℟. Et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

℣. Redde mihi laetitiam salutaris tui,

℟. Et spiritu principali confirma me.

Oremus. Ineffabilem nobis Domine, misericordiam tuam clementer ostende, ut simul nos et a peccatis omnibus exuas et a poenis, quas pro his meremur, eripias. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

℣. Custodi nos Domine ut pupillam oculi.

℟. Sub umbra alarum tuarum protege nos.

℣. Dirige me in veritate tua et doce me.

℟. Quia tu es Deus salvator meus, et te sustinui tota die.

Oremus. Exaudi, Domine, famulos tuos, vespertina Nomini tuo vota reddentes, et quos per singula diei momenta servasti incolumes, per noctis quietem custodire dignare. Per Christum Dominum nostrum.

Clementissime Jesu, salus, vita, resurrectio nostra tu solus es. Te ergo quaesumus, ne derelinquas nos in angustiis et perturbationibus nostris, sed per agoniam Cordis tui sanctissimi et per dolores Matris tuae Immaculatae, tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti. Ind. 100 d. s. i. d.

MEMORARE, o piissima Virgo Maria, non esse auditum a saeculo, quemquam ad tua currentem praesidia, tua implorantem auxilia, tua petentem suffragia esse derelictum. Ego tali animatus confidentia, ad te, Virgo virginum, Mater, curro; ad te venio; coram te gemens peccator assisto. Noli, Mater Verbi, verba mea despicere, sed audi propitia et exaudi. Amen.

Oremus. Ind. 300 d. t. q. - Pius IX.

Omnipotens et misericors Deus, qui ad defensionem populi christiani in beatissima Virgine Maria perpetuum auxilium mirabiliter constituisti: concede propitius; ut, tali praesidio muniti certantes in vita, victoriam de hoste maligno consequi valeamus in morte. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

℣. Exsultabunt Sancti in gloria.

℟. Laetabuntur in cubilibus suis.

Oremus. Beatorum *N.*, *N.*, omniumque Sanctorum nos, quaesumus Domine, patrocinia muniant, ut, quorum gaudemus meritis, accendamur exemplis.

Benedicat et custodiat nos omnipotens et misericors Dominus, Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus. ℟. Amen.

PRECES VESPERTINAE

feria IV.

Inclinata est dies, nox appropinquavit, venite, extollamus manus nostras in sancta et glorificemus Dominum, qui fecit nobiscum misericordiam suam.

Canticum David.

BENEDICTUS ES, Domine, Deus Israël patris nostri,* ab aeterno in aeternum.

Tua est, Domine, magnificentia et potentia,* et gloria, atque victoria:

Et tibi laus:* cuncta enim quae in caelo sunt, et in terra, tua sunt:

Tuum, Domine, regnum,* et tu es super omnes principes.

Tuae divitiae, et tua est gloria:* tu dominaris omnium.

In manu tua virtus et potentia: in manu tua magnitudo, et imperium omnium.

Nunc igitur, Deus noster, confitemur tibi,* et laudamus nomen tuum inclytum.

Oremus.

Deus, apud quem pro perceptis donis gratitudo, secura est alterius beneficii impetratio, da nobis dignas tibi gratiarum actiones semper reddere, ut misericordiam tuam ad impertienda nobis nova bona moveamus. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Veni, Lux vera, et pelle tenebras cordis mei, ut videam, quid desit mihi et quid displiceat tibi, ut omnem iniquitatem odio habeam et per gratiam tuam serio emendem.

„Redde rationem villicationis tuae", dicit Dominus.
Quid fecisti? Quomodo fecisti? Quid agendorum omisisti?
Elice actum contritionis et renova propositum fidelitatis.

Dulcissime Jesu, ne sis mihi judex, sed salvator.
℣. Verba mea auribus percipe Domine. 50 d. t. q.
℟. Intellege clamorem meum.
℣. Intende voci orationis meae.
℟. Rex meus et Deus meus.
℣. Ab occultis meis munda me, Domine.
℟. Et ab alienis parce servo tuo.

Oremus.

Deus, qui nullum despicis, sed quantumvis peccantibus per paenitentiam pia miseratione placaris, respice propitius ad preces humilitatis nostrae et illumina corda nostra, ut tua valeamus implere praecepta. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.
℣. Clamavi in toto corde meo.
℟. Exaudi me, Domine.
℣. Fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis.
℟. Ut non confundar.
℣. Adjuva nos, Deus salutaris noster.
℟. Et propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos.

Salva nos, quaesumus, omnipotens Deus, et intercedente beata Virgine Maria cum omnibus sanctis Angelis et electis tuis lucem tuam nobis concede perpetuam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Una ex Antiphonis in honorem B. Mariae Virginis.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Proptera benedixit te Deus in aeternum.

Oremus.

Deus, qui Apostolis tuis, cum Maria Matre Jesu unanimiter orantibus Sanctum dedisti Spiritum: da nobis; ut, eadem Matre nostra et Apostolorum Regina protegente, majestati tuae fideliter servire, et nominis tui gloriam verbo et exemplo diffundere valeamus. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Memento nostri, beate Joseph; et tuae orationis suffragio apud tuum putativum Filium intercede; sed et beatissimam Virginem Sponsam tuam nobis propitiam redde, quae Mater est Eius, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat per infinita saecula saeculorum. Amen. Ind. 100 d. s. i. d.

Quietem capiam, mi Jesu, ut vires corporis restaurem, et divino tuo obsequio aptior fiam. Mi Jesu, quoties respiro per noctem, toties tu a me sis benedictus, ut in caelis te Seraphim benedicunt et Cherubim. Mi Jesu, in te credo; mi Jesu, in te spero; mi Jesu, te amo super omnia. Tibi vigilo, tibi dormio, tibi vivo, tibi morior, amantissime Jesu.

PRECES VESPERTINAE

feria V.

BENEDICTIO ET CLARITAS, et sapientia et gratiarum actio, honor et virtus et fortitudo Deo nostro in saecula saeculorum. Amen.

Deus magnus et excelsus, solus habens immortalitatem et lucem inhabitans inaccessibilem, qui nos peccatores hac hora faciem tuam praevenire et vespertinas tibi laudes offerre voluisti: ipse benignus dirige orationem nostram sicut incensum in conspectu tuo in odorem suavitatis, et noctem insequentem nobis pacificam tribue. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Gratias agamus Domino Deo nostro!

Vide, quam liberalis erga te fuit etiam hodie Deus tuus!

Oremus. Gratias tibi agimus, Domine, de multiplicatis super nos misericordiis tuis, qui immortalitatem nostram necessariis adjumentis sustentas, et animam spiritali esca semper reficis. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Illumina me, Domine, qui observasti omnes semitas meas et vestigia pedum meorum considerasti, ut revocare mihi possim in mentem, quidquid hodie in actibus meis Majestati tuae displicuit.

Perpende singulos actus tuos at vide, quales appareant in lumine Dei sanctissimi. - Piis lacrimis dele maculas cordis tui.

PATER, VENIT HORA, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te - sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne, quod dedisti ei, det eis vitam aeternam. - Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te, solum Deum verum et quem misisti Jesum Christum. (Joan. XVII, 1—3) Ind. 300 d.

Ingredere cum Domino Jesu in hortum Gethsemani et cum intimis affectibus contritionis et compassionis offer Deo Patri ejus maerores, angores et sudorem sanguineum in reconciliationem et satisfactionem pro peccatis tuis et totius mundi.

Pater, si vis, transfer calicem hunc a me. Verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat. -

Pater noster.

Tristis est anima mea usque ad mortem. -

Pater noster.

Et factus est sudor ejus sicut guttae sanguinis decurrentis in terram. -

Pater noster.

℣. Proprio Filio suo non pepercit Deus.

℟. Sed pro nobis omnibus tradidit illum.

Oremus. Respice, quaesumus Domine, super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Jesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium, et crucis subire tormentum.

Domine Jesu Christe, qui in horto verbo et exemplo nos orare docuisti ad tentationum pericula superanda: concede propitius, ut nos orationi semper in-

tenti, ejus copiosum fructum consequi mereamur: Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

℣. Salvos fac servos tuos.

℟. Deus meus, sperantes in te.

℣. Esto nobis, Domine, turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

Oremus.

Familiam tuam, quaesumus, Domine, continua pietate custodi: ut a cunctis adversitatibus te protegente sit libera, et in bonis actibus tuo nomini sit devota. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Una ex antiphonis in honorem B. Mariae Virginis.

℣. Felix es, sacra Virgo Maria, et omni laude dignissima.

℟. Quia ex te ortus est sol justitiae, Christus, Deus noster.

Oremus.

Domine Jesu Christe, Pastor bone; qui pro ovibus tuis animam dedisti, nosque populum tuum et oves pascuae tuae in Cruce pendens Matri Virgini commendasti: ipsa interveniente concede; ut, te Pastorem nostrum sequentes in terris, ad pascua aeternae vitae perducamur in caelis: Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

PRECES VESPERTINAE

feria VI.

DIGNUS ES, Domine Deus noster, accipere gloriam, et honorem, et virtutem, quoniam occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo, ex omni tribu et lingua et populo et natione; et fecisti nos Deo nostro regnum.

Psalmus 144.

Exaltabo te, Deus meus, rex:* et benedicam nomini tuo in saeculum, et in saeculum saeculi.

Magnus Dominus, et laudabilis nimis:* et magnitudinis ejus non est finis.

Miserator et misericors Dominus:* patiens et multum misericors.

Suavis Dominus universis:* et miserationes ejus super omnia opera ejus.

Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua:* et sancti tui benedicant tibi.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto...

Recole cum affectibus gratitudinis beneficia tibi tuisque a Deo misericorditer collata.

Oremus.

Deus, cujus clementia non solum beneficia praestat immeritis, sed affectum quoque nobis, quo gratias referamus, inspirat: da nobis, ut pietatis tuae repleti muneribus, laudes, quas nunquam sufficien-

ter exsolvimus, nunquam reddere desinamus. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

O Domine, emitte Spiritum Sanctum tuum, ut gratia ejus adjutus videam nunc conscientiam meam cum illa claritate, qua eam in die Judicii videbo. Fac, ut peccata mea defleam, sicut Dominus Jesus ea in horto olivarum deflevit, cor meum accende, ut ea detestari et me emendare valeam, tibique fidelius servire merear.

Examen conscientiae.

Deus, propitius esto mihi peccatori!

Mi Jesu, tu es tam bonus erga me! Tu de praesepio, de Cruce, de altari clamas ad me: „Fili, vide amorem meum: praebe mihi etiam cor tuum!“ Et ecce ego peccatis respondeo ad vocem amoris tui. Tepidum, ingratum remanet cor meum. - At tu, o Jesu, tamen amas me. - Bone Jesu, tolle hanc injustitiam, vince me amore tuo, trahe ad te cor meum! Defleo ex corde omnem ingratitudinem meam, detestor ista et omnia peccata mea et precor instantissime: Cor Jesu, Cor purissimum, o ara sanctitatis, cor meum purga sordidum, infectum tot peccatis. Qui movet tibi vomitum auferto hinc teporem, infunde novum spiritum et spiritus fervorem.

Ex parte mea firmiter statuo et propono in posterum, et praesertim usque ad proximum conscientiae examen hunc defectum vitare... hanc virtutem exercere... ordinem diurnum servare, omnia officia mea secundum tuam sanctissimam voluntatem adimplere. Custodi, Domine, hanc voluntatem meam.

℣. Inclina Domine, aurem tuam mihi.
℟. Et exaudi verba mea.
℣. Mirifica misericordias tuas.
℟. Qui salvos facis sperantes in te.

Oremus.

Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maxime et miserando manifestas: multiplica super nos misericordiam tuam, ut ad tua promissa currentes, caelestium bonorum facias esse consortes. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

℣. In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.

℟. Redemisti me, Domine Deus veritatis.

Oremus.

Deus, qui diligentibus te bona invisibilia praeparasti, infunde cordibus nostris tui amoris affectum, ut te in omnibus et super omnia diligentes, promissiones tuas, quae omne desiderium superant, consequamur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

RECORDARE Virgo Mater Dei, dum steteris in conspectu Domini, ut loquaris pro nobis bona, et ut avertat indignationem suam a nobis.

℣. Regina Martyrum ora pro nobis.

℟. Quae juxta crucem Jesu constitisti.

Oremus. Deus, in cujus passione dulcissimam animam gloriosae Virginis et Matris Mariae doloris gladius pertransivit: concede propitius; ut qui dolores ejus venerando recolimus, passionis tuae effectum felicem consequamur. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Sacris Cordibus Jesu et Mariae honor et gloria.

Ind. 300 d.

PRECES VESPERTINAE

Sabbato.

REGI SAECULORUM, immortali et invisibili, soli Deo honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

Ind. 300 d.

Psalmus 102.

Benedic anima mea Domino:* et omnia quae intra me sunt nomini sancto ejus.

Benedic anima mea Domino:* et noli oblivisci omnes retributiones ejus.

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis:* qui sanat omnes infirmitates tuas.

Qui redimit de interitu vitam tuam:* qui coronat te in misericordia et miserationibus.

Miserator et misericors Dominus:* longanimis et multum misericors.

Quoniam secundum altitudinem caeli a terra:* corroboravit misericordiam suam super timentes se.

Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se:* quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.

Benedicite Domino omnia opera ejus:* in omni loco dominationis ejus, benedic, anima mea, Domino.

Gloria Patri et Filio:* et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, et nunc et semper:* et in saecula saeculorum. Amen.

Oremus.

Deus, cujus misericordiae non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus: piissimae majestati tuae pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes: ut, qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens, ad praemia futura disponas. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Examen diei instituens, reflecte etiam super s. confessionem: an cum debita dispositione accessisti, cum sincera contritione et firmo proposito? an paenitentiam iniunctam rite persolvisti? mentis recollectionem servasti? Recole monita accepta, renova proposita.

Deplora omnia peccata, quibus Majestatem divinam homines hac hebdomada offenderunt.

℣. Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra, vel parentum nostrorum.

℟. Neque vindictam sumas de peccatis nostris.

℣. Domine, Deus virtutum, converte nos.

℟. Et ostende faciem tuam, et salvi erimus.

℣. Reminiscere miserationum tuarum Domine,

℟. Et misericordiarum tuarum, quae a saeculo sunt.

Oremus.

Deus, qui culpa offenderis, paenitentia placaris: preces populi tui supplicantis propitius respice, et flagella tuae iracundiae, quae pro peccatis nostris meremur, averte.

Quaesumus, omnipotens Deus, ut magistris, moderatoribus, parentibus omnibusque nobis bona fa-

cientibus copiosa dona gratiae tuae in hac vita, post mortem vero sempiterna bona retribuas. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

℣. In die mandavit Dominus misericordiam suam.

℟. Et nocte canticum ejus.

Oremus.

Fac nos, quaesumus Domine, tibi servire in sanctitate et justitia omnibus diebus nostris, exspectantes beatam spem, ut in pace, consummato vitae cursu, in illam requiem ingrediamur, ubi nox ultra non erit, neque dolor, et reportantes finem fidei nostrae salutem animarum, sempiterna tui fruitione laetemur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Cantatur Antiphona B. Mariae Virginis.

℣. Valde mirabilis es, o Maria.

℟. Et facies tua plena est gratiarum.

Oremus.

Domine Jesu Christe, noster apud Patrem mediator, qui beatissimam Virginem, Matrem tuam, matrem quoque nostram et apud te mediatricem constituere dignatus es: concede propitius; ut, quisquis ad te beneficia petiturus accesserit, cuncta se per eam impetrasse laetetur: Qui vivis et regnas cum eodem Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Pro fidelibus defunctis, qui hac hebdomada in Domino obierunt, Psalmus *De profundis*.

ANTE STUDIUM VEL LECTIONEM

℣. Deus in adjutorium meum intende.
℟. Domine, ad adjuvandum me festina.
Actiones nostras, quaesumus, Domine, aspirando praeveni et adjuvando prosequere: ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te coepta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oratio cotidiana s. Thomae Aq. ante studium.

Concede mihi, misericors Deus, quae tibi placita sunt ardenter concupiscere, prudenter investigare, veraciter agnoscere et perfecte adimplere ad laudem et gloriam nominis tui. Amen. Ind. 300 d.

Oratio sancti Petri Canisii.

Domine Jesu Christe, omnis sapientiae fons et lumen cordium, largire mihi, quaeso, mentis illustrationem, acumen ingenii et intelligentiae claritatem, ut meus in legendo et discendo labor nomini tuo glorificando et proximo adjuvando serviat mihique sit salutaris. Amen.

Cor Jesu flagrans amore nostri, inflamma cor nostrum amore tui. Ind. 100 d. s. i. d.

Da, Domine, ut noscam et faciam tuam voluntatem. Ind. 300 d.

Jesu, amore tui, tecum pro te. Ind. 300 d.

POST STUDIUM VEL LECTIONEM

Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio in saecula sempiterna, o beata Trinitas. Ind. 50 d.

Tot sint tibi laudes, Jesu, quot litteras scripsi, quot verba legi; tot quoque sint laudes tibi, Virgo Maria.

Mane mecum, Domine, sis verum meum gaudium.
Ind. 300 d.

Oratio s. Petri Canisii.

Tibi laus et gloria, Deus aeterne, quod gratia tua duce hunc absolvi laborem, quem tibi gratum et mihi salutarem esse concede.

Non nobis, Domine, non nobis, sed Nomini tuo da gloriam, ut semper in omnibus et super omnia in nobis et pro nobis benedicaris. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

O Jesu, toto corde tibi adhaereo. Ind. 300 d.

Fac nos innocuam Joseph decurrere vitam,
Sitque tuo semper tuta patrocinio. Ind. 300 d. s. i. d.

Deus, propitius esto mihi peccatori.
Ind. 100 d. ingrediendo ecclesiam vel publicum vel semipublicum oratorium.

Laudetur et adoretur in aeternum sanctissimum Sacramentum. Ind. 300 d.

Tu es Christus, Filius Dei vivi. (S. Petrus Apost.)
Ind. 300 d. coram Ssmo Sacramento, etiam in tabernaculo clauso.

Te, Jesu, verum Deum et Hominem hic in sancta Eucharistia praesentem, in genua humillime provolutus, cum fidelibus terrae et sanctis caeli mente conjunctus, adoro; ac pro tanto beneficio intime gratus, te, Jesu, infinite perfectum atque infinite amabilem ex toto corde diligo.

Da mihi gratiam, ne ullo modo te unquam offendam, atque ut, tua hac in terra eucharistica praesentia recreatus, ad te aeterna ac beata in caelis praesentia una cum Maria perfruendum merear pervenire. Amen. Ind. 300 d. s. i. d.

Cor Jesu sacratissimum, effunde, quaesumus tuam benedictionem super sanctam Ecclesiam, super summum Pontificem et super omnem clerum. Da justis perseverantiam, converte peccatores, illumina infideles; benedic nostros propinquos, amicos et benefactores; assiste morti proximis, libera animas in purgatorio degentes et super omnium corda dulce imperium amoris tui extende. Amen.

Oratio sancti Augustini.

Tu es Christus, pater meus sanctus, Deus meus pius, rex meus magnus, pastor meus bonus, magister meus unus, adjutor meus optimus, dilectus meus pulcherrimus, panis meus vivus, sacerdos meus in aeternum, dux meus ad patriam, lux mea vera, dulcedo mea sancta, via mea recta, sapientia mea praeclara, simplicitas mea pura, concordia mea pacifica, custodia mea tota, portio mea bona, salus mea sempiterna.

Christe Jesu, amabilis Domine, cur amavi, quare concupivi omni vita mea quidquam praeter te, Jesum Deum meum? Ubi eram, quando tecum mente non eram? Jam ex hoc nunc, omnia desideria mea incalescite et effluite in Dominum Jesum; currite, satis hactenus tardastis; properate quo pergitis; quaerite quem quaeritis. Jesu, qui non amat te, anathema sit; qui te non amat, amaritudinibus repleatur... O dulcis Jesu, te amet, in te delectetur, te admiretur omnis sensus bonus tuae conveniens laudi. Deus cordis mei et pars mea, Christe Jesu, deficiat cor meum spiritui suo, et vivas tu in me, et concalescat in spiritu meo vivus carbo amoris tui, et excrescat in ignem perfectum; ardeat jugiter in ara cordis mei, ferveat in medullis meis, flagret in absconditis animae meae; in die consummationis meae consummatus inveniar apud te... Amen.

Piae petitiones s. Augustini.

Domine Jesu, noverim me, noverim te,
Nec aliquid cupiam nisi te.
Oderim me et amem te.
Omnia agam propter te.
Humiliem me, exaltem te.
Nihil cogitem nisi te.
Mortificem me et vivam in te.
Quaecumque eveniat accipiam a te.
Persequar me, sequar te
Semperque optem sequi te.
Fugiam me, confugiam ad te
Ut merear defendi a te.
Timeam mihi, timeam te,
Ut sim inter electos a te.
Diffidam mihi, fidam in te.
Obedire velim propter te.
Ad nihil afficiar nisi ad te,
Et pauper sim propter te.
Aspice me, ut diligam te.
Voca me, ut videam te
Et in aeternum fruar te. Amen. Ind. 50 d. s. i. d.

Aspirationes s. Ignatii.

Anima Christi, sanctifica me. - Corpus Christi, salva me. - Sanguis Christi, inebria me. - Aqua lateris Christi, lava me. - Passio Christi, conforta me. - O bone Jesu, exaudi me. - Intra tua vulnera absconde

me. - Ne permittas me separari a te. - Ab hoste maligno defende me. - In hora mortis meae voca me: - Et jube me venire ad te, - Ut cum Sanctis tuis laudem te, - In saecula saeculorum. Amen. Ind. 300 d. t. q.

Oblatio sui.

Suscipe, Domine, universam meam libertatem. Accipe memoriam, intellectum atque voluntatem omnem. Quidquid habeo vel possideo, mihi largitus es: id tibi totum restituo, ac tuae prorsus voluntati trado gubernandum. Amorem tui solum cum gratia tua mihi dones, et dives sum satis, nec aliud quidquam ultra posco. Ind. 300 d. s. i. d.

O Jesu vivens in Maria, veni et vive in famulis tuis, in spiritu sanctitatis tuae, in plenitudine virtutis tuae, in veritate virtutum tuarum, in perfectione viarum tuarum, in communione mysteriorum tuorum, dominare omni adversae potestati, in Spiritu tuo ad gloriam Patris. Amen. Ind. 300 d. s. i. d.

Ad Elevationem in s. Missa.


Salve, salutaris Victima, pro me et omni humano genere in patibulo Crucis oblata.

Salve, pretiose Sanguis, de vulneribus crucifixi Domini nostri Jesu Christi profluens, et peccata totius mundi abluens.

Recordare, Domine, creaturae tuae, quam tuo pretioso Sanguine redemisti. Ind. 60 d. s. i. d.

JESU DULCISSIME, - Redemptor humani generis, - respice nos ad altare tuum humillime provolutos. Tui sumus, tui esse volumus; quo autem tibi coniuncti firmius esse possimus, en hodie sacratissimo Cordi tuo se quisque nostrum sponte dedicat. Te quidem multi novere nunquam; te, spretis mandatis tuis, multi repudiarunt. Miserere utrorumque, benignissime Jesu, - atque ad sanctum Cor tuum rape universos. Rex esto, Domine, nec fidelium tantum, qui nullo tempore discessere a te, - sed etiam prodigorum filiorum, qui te relinquerunt; fac hos, ut domum paternam cito repetant, - ne miseria et fame pereant. Rex esto eorum, quos aut opinionum error deceptos habet, aut discordia separatos, - eosque ad portum veritatis atque ad unitatem fidei revoca, - ut brevi fiat unum ovile et unus pastor. Rex esto eorum omnium, qui in tenebris idololatriae aut islamismi adhuc versantur, - eosque in lumen regnumque tuum vindicare ne renuas. Respice denique misericordiae oculis illius gentis filios, - quae tamdium populus electus fuit; et Sanguis, qui olim super eos invocatus est, - nunc in illos quoque redemptionis vitaeque lavacrum descendat. Largire, Domine, Ecclesiae tuae securam cum incolumitate libertatem; largire cunctis gentibus tranquillitatem ordinis; perfice, ut ab utroque terrae vertice una resonet vox: Sit laus divino Cordi, per quod nobis parta salus: - ipsi gloria et honor in saecula. Amen. Ind. 300 d.

Oratio ad D. n. Jesum Christum Crucifixum ante imaginem Crucifixi recitanda, cum Indulg. plenaria suetis conditionibus.



En ego, o bone et dulcissime Jesu, ante conspectum tuum genibus me provolvo ac maximo animi ardore te oro atque obtestor, ut meum in cor vividos fidei, spei et caritatis sensus, atque veram peccatorum meorum paenitentiam, eaque emendandi firmissimam voluntatem velis imprimere: dum magno animi affectu et dolore tua quinque Vulnera mecum ipse considero ac mente contemplor, illud prae oculis habens, quod iam in ore ponebat tuo David Propheta de te, o bone Jesu: Foderunt manus meas, et pedes meos; dinumeraverunt omnia ossa mea. (Psal. 21, 17).

Pro moribundis.

O clementissime Jesu, amator animarum, obsecro te per agoniam Cordis tui Sanctissimi et per dolores Matris tuae Immaculatae, lava in Sanguine tuo peccatores totius mundi nunc positos in agonia et hodie morituros. Amen.

℣. Cor Jesu in agonia factum,

℟. Miserere morientium. Ind. 100 d. t. q.

Jesu, rex et centrum omnium cordium, per adventum regni tui dona nobis pacem. Ind. 300 d.

ACTUS VIRTUTUM

saepius eliciendi per preces jaculatorias.

Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria tua. Ind. 50 d.

Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, miserere nobis. Ind. 50 d.

In te credo, in te spero, te amo, te adoro, beata Trinitas unus Deus, miserere mei nunc et in hora mortis meae et salva me. Ind. 300 d.

O sanctissima Trinitas, adoro te habitantem per gratiam tuam in anima mea. Ind. 300 d.

O sanctissima Trinitas, habitans per gratiam tuam in anima mea, fac ut magis ac magis amem te. 300 d.

Deus meus et omnia! Ind. 50 d.

Fiat, laudetur atque in aeternum superexaltetur justissima, altissima et amabilissima voluntas Dei in omnibus. Ind. 100 d. s. i. d.

Quis ut Deus? Ind. 100 d.

Deus Pater, mane in me semper, sicut semper manes in Jesu. Ind. 300 d.

Deus sit benedictus!

Ind. 50 d., quoties, blasphemias audiendo, jaculatoria prex recitata fuerit.

O Sancte Spiritus, dulcis hospes animae meae, mane mecum, et fac ut ego maneam semper tecum.

Ind. 300 d.

Pater sancte, per immaculatum Cor Mariae, offero tibi Jesum, Filium tuum dilectissimum, ac me ipsum offero in ipso et cum ipso et per ipsum, ad omnes ejus intentiones et nomine omnium creaturarum.

Ind. 300 d.

Dulcissime Jesu, da mihi fidei, spei et caritatis augmentum, cor contritum et humiliatum. 100 d. s. i. d.

O Jesu, toto corde tibi adhaero. Ind. 300 d.
Jesu, Deus meus, super omnia amo te. Ind. 50 d.

Salvum me fac, o Jesu. Ind. 300 d.
Jesu, fili David, miserere mei. Ind. 100 d. s. i. d.
Salvator mundi, miserere nobis. Ind. 50 d. s. i. d.

Laus, honor et gloria divino Cordi Jesu.

Ind. 50 d. s. i. d.

Cor Jesu, habeo fiduciam in te! Ind. 300 d.

Jesu mitis et humilis Corde, fac cor meum (nostrum) secundum Cor tuum. Ind. 300 d.

Cor Jesu, fons totius puritatis, miserere nobis.

Ind. 300 d.

Cor Jesu Eucharisticum, adauge nobis fidem, spem et caritatem. Ind. 300 d.

Cor Jesu Eucharisticum, cordis sacerdotalis exemplar, miserere nobis. Ind. 300 d.

Dulce Cor Jesu, miserere nostri et fratrum nostrorum errantium. Ind. 100 d.

Benedicta sit sancta, immaculata et purissima conceptio beatissimae Virginis Mariae, Matris Dei. 300 d.

Virgo Dei Genetrix, Maria, deprecare Jesum pro me. Ind. 100 d.

O Maria, fac ut vivam in Deo, cum Deo et pro Deo. Ind. 300 d.

Mater amoris, doloris et misericordiae, ora pro nobis. Ind. 300 d.

Mater de Perpetuo Succursu, ora pro nobis. 100 d.

Te, Joseph, celebrent agmina caelitum, te cuncti resonent christiadum chori. Ind. 300 d.

In assumendo superpelliceo:

Indue me, Domine, novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis. Amen.

„Clericis cuiuslibet gradus et ordinis, quotiescumque, in assumendo de more superpelliceo, se cruce signent et uti supra exorent, conceditur Indulgentia 300 dierum." S. C. Ind., 1. Dec. 1907.



OFFICIUM PARVUM SS. CORDIS JESU

Ad Matutinum.

℣. Domine, labia mea aperies.
℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.
℣. Deus, in adjutorium meum intende.
℟. Domine, ad adjuvandum me festina.
℣. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.
℟. Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Alleluja. Vel: Laus tibi Domine, Rex aeternae gloriae.

℣. Cor Jesu, flagrans amore nostri.
℟. Inflamma cor nostrum amore tui.

Hymnus.

Caelestis aulae gaudium,
Splendor paternae gloriae,
Carnem benignus induens,
Nobis fores ut hostia;

Jesu, voluptas cordium,
Cor ure sacris ignibus,
Dignis ut ornem laudibus
Cordis tui sacrarium.

Cor dulce, cor amabile,
Amore nostri fervidum,

Amore nostri languidum,
Fac sis mihi placabile.

Cor Jesu, o melle dulcius,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium. Amen.

Ant. O sacrum Cor Jesu, Patris voluntati obsequentissimum, inclina ad te corda nostra, ut quae placita sunt ei faciamus semper.

℣. Paratum cor meum, Deus cordis mei, ut faciam voluntatem tuam.

℟. Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei.

Oremus.

Domine Jesu, qui ineffabiles Cordis tui dulcedines ac divitias Ecclesiae Sponsae tuae, singulari dilectionis tuae beneficio aperire dignatus es: concede nobis famulis tuis; ut gratiis caelestibus, ex hoc dulcissimo fonte manantibus, ditari ac recreari mereamur. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Ad Laudes.

℣. Deus in adjutorium *etc.*

℣. Gloria Patri *etc.*

℣. Cor Jesu, flagrans *etc.* Et sic ad omnes Horas.

Cor, digna sedes Numine,
Te sacra virtus Flaminis,
Illapsa in alvum Virginis,
Puro creavit sanguine.

Tu Trinitatis gloria:
In te Patris sunt gaudia,
Jungit tibi se Filius,
In te quiescit Spiritus.

Orbi salus tu perdito,
Secura pax fidelium,
Puris asylum mentibus,
Castis recessus cordibus.

Cor Jesu, o melle dulcius,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus;
In corde regnes omnium. Amen.

Ant. O sacrum Cor Jesu, salutis nostrae sitientissimum, revoca nos praevaricatores ad cor, ut non moriamur in peccatis nostris.

Versiculus et oratio ut ad Matutinum, et sic ad omnes Horas.

Ad Primam.

O Cor, amoris victima,
Caeli perenne gaudium,

Mortalium solatium,
Mortalium spes unica.

Grandi reclusum vulnere
Amor dedit te pervium,
Amor reclusit ostium,
Hortatur et pervadere.

Quos abluisti sanguine,
Venis apertis omnibus,
Nos intimis recessibus
Semel receptos contine.

Cor Jesu, o melle dulcius,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium. Amen.

Ant. O sacrum Cor Jesu, puritatis exemplar perfectissimum, fac nos corde mundo, ut secundum te inveniri mereamur.

Ad Tertiam.

Hymnus.

O Cor amore saucium,
Amore corda saucia:
Vitale nectar Caelitum,
Amore nos inebria.

Novo Deus mysterio
Carnem suam dat pabulum,
Et sanguinem dat poculum,
Mirabili in convivio.

Quem proni adorant Angeli,
Sub mystico velamine
Divinitatis temperans
Lumen, fit esca servulis.

Cor Jesu, o melle dulcius,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium. Amen.

Ant. O sacrum Cor Jesu, in hostes tuos mitissimum, exsultet pax tua in cordibus nostris, ut persequentibus et calumniatibus nos remittamus de cordibus nostris.

Versus cum Oratione ut ad Matutinum.

Ad Sextam.

Hymnus.

Cor ara Caelo celsior,
Terris marique latior,
Quas ante non exceperis
Deus repellit hostias.

Hic sacra virtutum cohors,
Custos comesque candidae
Fidelis innocentiae,
In sede regnat propria.

Hoc iura quae mundum regant
Volvuntur alto pectore.
Hoc fonte, quae mentes beent,
Manant fluenta gratiae.

Cor Jesu, o melle dulcius,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium. Amen.

Ant. O sacrum Cor Jesu, pro peccatis nostris afflictissimum, da nobis cor contritum et humiliatum, ut dignos paenitentiae fructus faciamus.

Ad Nonam.

Hymnus.

Cor sole puro purius,
Templumque Caelo dignius,
Verbi Dei sacrarium,
Opum Dei compendium.

Ex te quot actus prodeunt,
Tot digna Patre munera;

Quot vota fundis, tot Pater
Justis rependit praemiis.

Vindex reis irascitur
Deus, sed ut te respicit,
Placatus iras abiicit
Et fulmen obliviscitur.

Cor Jesu, o melle dulcius,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium. Amen.

Ant. O sacrum Cor Jesu, paupertatis amantissimum, pone nos ut signaculum super te, ut in te, unico thesauro nostro, totum sit cor nostrum.

Ad Vesperas.

Hymnus.

O Cor, Deo par victima,
Altare sacratissimum,
In quo perennis hostia
Culpas piat mortalium.

Nidus gementis turturis,
Gratum columbis pabulum,
Hortus refulgens floribus,
Sponsae quies et lectulus.

Hic casta spirant lilia,
Quibus nitescunt Virgines,
Hic unde splendent Martyres,
Rosae rubescit purpura.

Cor Jesu, o melle dulcius,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium. Amen.

Ant. O sacrum Cor Jesu, diligentibus te beneficentissimum, deficiat in te caro nostra et cor nostrum, ut sis amor cordis nostri, et pars nostra in aeternum.

Ad Completorium.

Hymnus.

Cor Matris ad Cor Filii
Amoris ardens impetu,
Indesinente anhelitu,
Suspirat oblitum sui.

Utrumque amoris vinculo
Nexu perenni iungitur,
Hoc ardet huius ignibus,
Ignemque reddit aemulum.


Cor Jesu, o melle dulcius,
Puris amicum mentibus,

Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium. Amen.

Ant. O victima caritatis, Cor amantissimum Jesu, pro peccatis nostris immolatum, ab ingratis hominibus neglectum et afflictum, converte nos, vivifica nos, accende nos.

Vers. cum Oratione ut ad Matutinum.

Indulg. septem annorum totidemque quadragenarum.



VIA CRUCIS I.

Oratio praeparatoria.

Suscipe, Sancta Trinitas, hoc viae Crucis exercitium, quod ad majorem gloriam tuam, pro satisfactione peccatorum nostrorum, ad impetrandam vivis gratiam, defunctis requiem, omnibus gloriam, tibi offerimus in unione meritorum Salvatoris nostri Jesu Christi, beatae Virginis et omnium Sanctorum. Tibi laus, honor et gloria, o beata Trinitas, in sempiterna saecula. ℟. Amen.

I.

℣. Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi.
℟. Quia per Crucem tuam redemisti mundum.
Et sic ad quamlibet stationem.

Dulcissime Jesu, qui ab impiis Judaeis sine causa ad mortem damnatus fuisti, ut injusta tui condemnatione nos a criminum reatu absolveres: concede propitius, ut peccata praeterita digne defleamus, et defleta posthac non committamus: Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.
Pater noster. Ave Maria.

II.

Benignissime Jesu, qui inter multa opprobria Crucem tuam cum ingenti dolore bajulasti: tribue quae-

sumus, ut sanctissima tua Cruce roborati, viam mandatorum tuorum fortiter percurramus: Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

III.

Clementissime Jesu, qui divinis mandatis obediens sub onere Crucis cecidisti: concede propitius, ut in posterum, pro amore tui, superioribus nostris voluntatem nostram et proprium judicium perfecte subjiciamus: Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

IV.

O mitissime Jesu, qui in itinere tuo ad Calvariae locum, sanctissimam Matrem tuam, doloribus tuis vehementer compatientem, obviam habuisti: concede quaesumus, ut et nos eam in omni periculo mentis et corporis, praesertim vero in hora mortis, obviam habere mereamur: Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

V.

Misericordissime Jesu, qui in portando Crucis onere Simonem Cyrenaeum adjutorem habere voluisti: praesta quaesumus, ut et nos a Te ad sacerdotium vocati, sacra haec munera fideliter exsequamur: Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

VI.

O dulcissime Jesu, qui venerandam tuam faciem sindoni, qua Veronica illam abstersit, imprimere dig-

natus es: praesta quaesumus, ut hanc venerandam faciem semper prae oculis habeamus et in amore tui proficiamus: Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

VII.

Amantissime Jesu, qui altera vice sub onere Crucis cecidisti; concede quaesumus, ut nullis tentationibus mentis et corporis devicti, Tibi in omni castitate et humilitate servire valeamus: Quis vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

VIII.

Dulcissime Jesu, qui pias mulieres super te plorantes, ut super seipsas et filios suos flerent benigne monuisti: praesta quaesumus, ut dignis paenitentiae lacrymis non solum nostra, sed et aliorum peccata jugiter defleamus: Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

IX.

Clementissime Jesu, qui viribus omnino destitutus tertia vice sub onere Crucis cecidisti: largire quaesumus, ut ad omnem crucem pro tui honore perferendam semper simus parati: Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

X.

Dulcissime Jesu, qui in loco Calvariae, spectante populo, vestibus nudari et vino felle permixto potari voluisti: concede quaesumus, ut exemplo tui, amemus paupertatem, et opera carnis spiritu semper

mortificemus: Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℞. Amen.

XI.

O benignissime Jesu, qui in ligno Crucis extendi, et clavis Cruci crudeliter affigi non recusasti: largire quaesumus, ut hanc ineffabilem caritatem semper pie meditantes, te super omnia diligamus et nos totos pro fratrum salute hilariter impendamus: Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℞. Amen.

XII.

Dulcissime Jesu, qui ineffabili misericordia pro nobis in Cruce mori dignatus es: concede propitius, ut et nos ex amore tui, si tua divina dispositio ita ordinaverit, pro nostra et proximorum salute animas ponere non recusemus: Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℞. Amen.

XIII.

O benignissime Jesu, qui post mortem in sinum afflictissimae Matris tuae deponi voluisti: concede quaesumus, ut nos et omnes, quorum salutem curaverimus, in hora mortis a te et a piissima Matre tua suscipi mereamur: Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℞. Amen.

XIV.

Domine Jesu Christe, qui aromaticis unguentis obliniri, sindone involvi et alieno sepulchro condi voluisti: supplices te rogamus, da infidelibus et haereticis fidem, peccatoribus veniam, justis perseve-

rantiam, zelum sacerdotibus et fidelibus defunctis requiem sempiternam: Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Ad altare:

℣. Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi.
℟. Quia per Crucem tuam redemisti mundum.
℣. Ora pro nobis, Virgo dolorosissima.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Respice, quaesumus, Domine, super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Jesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium et Crucis subire tormentum.

Interveniat pro nobis, quaesumus, Domine Jesu Christe, nunc et in hora mortis nostrae, apud tuam clementiam beata Virgo Maria Mater tua, cujus sacratissimam animam in hora tuae passionis doloris gladius pertransivit: Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.



VIA CRUCIS II.

I. Christus ad mortem condemnatur.

Ave Jesu! qui damnaris,
Et ad crucem mox raptaris
Sic jubente praeside.
Fac o Jesu! ut loquendo
Et judicium ferendo
Parcam innocentiae.

II. Jesus suscipit crucem super humeros.

Ave Jesu! qui onustus
Gravi cruce, etsi justus,
Ad tormenta properas.
Fac o Jesu! ut amanter
Hauriam, sed et constanter
Omnes hic miserias.

III. Jesus prima vice cadit sub cruce.

Ave Jesu! qui jam fessus,
Gravi crucis jugo pressus,
Prima vice laberis.
Fac o Jesu! ut deplorem
Primum casum et errorem
Copiosis lacrimis.

IV. Jesus crucem bajulans occurrit Matri suae dolorosissimae.

Ave Jesu! cujus pia
Venit Genetrix Maria
Luctu plena obviam.

Fac o Jesu, ut Maria
Duce quaeram Te in via
Crucis, et inveniam.

V. Jesus a Simone Cyrenaeo in bajulatione crucis adjuvatur.

Ave Jesu! quem ut ducem
Simon, portans tuam crucem,
Sequi tandem debuit.
Fac o Jesu! sim amicus
Crucis, vani inimicus
Mundi, qui Te respuit.

VI. Veronica Christo sudarium praesentat.

Ave Jesu! cujus vultum
Sputis, plagis tot incultum
Terserat Veronica.
Fac o Jesu! probra gentis
Reparem in Te furentis
Caritate caelica.

VII. Secundus lapsus Jesu ad portam.

Ave Jesu, cujus cursum
Ingens pondus sistit rursum.
Ecce! cadis denuo.
Fac o Jesu! ne peccata
Sacramento expiata
Repetam perpetuo.

VIII. Jesus filias Jerusalem flentes alloquitur.

Ave Jesu! qui jussisti
Flere semet planctu tristi
Filias Jerusalem.

Fac o Jesu! ut hanc meam
Conscientiam tam ream
Serio examinem.

IX. Jesus ad ascensum montis Calvariae tertio cadit.

Ave Jesu! qui sub ligno
Tuis humeris indigno
Tertio jam concidis.
Fac o Jesu! ut non cadam
Nec incautus largas vadam
Vias consuetudinis.

X. Jesus vestibus nudatur et felle potatur.

Ave Jesu! qui nudaris,
Felle etiam potaris
Ob intemperantiam.
Fac o Jesu! ut me veste
Semper contegam honeste,
Gulae non indulgeam.

XI. Jesus cruci affigitur.

Ave Jesu! humi stratus
Cruci fixus, elevatus,
Quanta pro me pateris!
Fac o Jesu! ut per crucem
Impetrem aeternam lucem
Liberatus inferis.

XII. Jesus in Cruce levatur, et moritur.

Ave Jesu! dira sorte
Ac funesta crucis morte
Denique qui moreris.

Fac o Jesu! ut hora mortis
Fide, spe, amore fortis,
Dolos vincam daemonis.

XIII. Jesus de Cruce deponitur.

Ave Jesu! corpus tuum
In sinum Maria suum
Recipit maestissima.
Fac o Jesu! ut dolorem
Piae Matris et amorem
Mente colam intima.

XIV. Sepultura Christi.

Ave Jesu! colo multum
Corpus tuum jam sepultum
Glorioso tumulo.
Fac o Jesu! ut frequenter
Tuum Corpus et ardenter
Corde sumam limpido.



ROSARIUM B. MARIAE VIRGINIS

SANCTA MARIA, succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam sanctam commemorationem.

I. Mysteria gaudiosa.

1. Angelus Gabriel nuntiavit Mariae, et concepit de Spiritu Sancto.
2. Intravit Maria in domum Zachariae, et salutavit Elisabeth.
3. Peperit Filium suum primogenitum, et reclinavit eum in praesepio.
4. Cum inducerent Jesum parentes ejus, ut sisterent eum Domino, Simeon accepit eum in ulnas suas, et benedixit Deum.
5. Requirentes Jesum parentes ejus, invenerunt illum post triduum in medio doctorum.

II. Mysteria dolorosa.

1. Jesus factus in agonia prolixius orabat, et factus est sudor ejus sicut guttae sanguinis decurrentis in terram.
2. Apprehendit Pilatus Jesum et flagellavit.
3. Milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt super caput ejus.

4. Jesus bajulans sibi crucem exivit in eum qui dicitur Calvariae locum.

Vel: Crucis imperium super humerum ejus: livore ejus sanati sumus.

5. Adoramus te Christe, et benedicimus tibi, quia per sanctam Crucem redemisti mundum.

Vel: Postquam venerunt in Calvariae locum, ibi crucifixerunt eum: stabat autem juxta Crucem Jesu Mater ejus.

III. Mysteria gloriosa.

1. Laetare Virgo Mater, surrexit Christus de sepulcro. Alleluja.

2. Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum.

3. Spiritus Domini replevit orbem terrarum.

Vel: Factus et repente sonus advenientis spiritus vehementis, ubi erant sedentes: et repleti sunt omnes Spiritu Sancto et coeperunt loqui magnalia Dei.

4. Assumpta est Maria in caelum: gaudent Angeli: laudantes benedicunt Dominum.

5. Exaltata est Virgo Maria super choros Angelorum, et in capite ejus corona stellarum duodecim.

℣. Regina sacratissimi Rosarii ora pro nobis.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

DEUS, cujus Unigenitus per vitam, mortem et resurrectionem suam nobis salutis aeternae praemia comparavit: concede, quaesumus: ut haec mysteria

sacratissimo Beatae Mariae Virginis Rosario recolentes, et imitemur quod continent et quod promittunt assequamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

INVOCATIONES B. MARIAE V.

TOTA PULCHRA ES, MARIA,
Et macula originalis non est in te.
Tu gloria Jerusalem,
Tu laetitia Israel,
Tu honorificentia populi nostri,
Tu advocata peccatorum,
O Maria,
O Maria,
Virgo prudentissima,
Mater clementissima,
Ora pro nobis,
Intercede pro nobis ad Dominum Jesum Christum.
℣. In Conceptione tua, Virgo, immaculata fuisti.
℟. Ora pro nobis Patrem, cujus Filium peperisti.

Oremus.

Deus, qui per immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum praeparasti, quaesumus, ut qui ex morte ejusdem Filii tui praevisa eam ab omni labe praeservasti, nos quoque mundos, ejus intercessione, ad te pervenire concedas. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. Ind. 300 d. s. i. d.

CORONA DUODECIM STELLARUM

Beatissimae Mariae Virginis.

℣. Dignare me laudare te, Virgo sacrata.

℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

I.

Credo. Pater noster. Ave Maria.

1. Beata es, Virgo Maria, quae Dominum portasti Creatorem mundi; genuisti qui te fecit, et in aeternum permanes Virgo.

℟. Gaude Maria Virgo. Gaude millies!

Ave Maria.

2. Sancta et immaculata Virginitas, quibus te laudibus efferam nescio, quia quem caeli capere non poterant, tuo gremio contulisti. ℟. Gaude...

Ave Maria.

3. Tota pulchra es, Virgo Maria, et macula non est in te.

℟. Gaude Maria Virgo; gaude millies.

Ave Maria.

4. Plures tibi sunt dotes, Virgo, quam sidera caelo.

℟. Gaude Maria Virgo; gaude millies.

Gloria Patri *etc.*

II.

Pater noster. Ave Maria.

5. Gloria tibi sit, Imperatrix poli; tecum nos perducas ad gaudia caeli.

℟. Gaude Maria Virgo; gaude millies.

Ave Maria.

6. Gloria tibi sit, Thesauraria gratiarum Domini! fac nos participes thesauri tui.

℟. Gaude Maria Virgo; gaude millies.

Ave Maria.

7. Gloria tibi sit, Mediatrix inter Deum et hominem! fac nobis propitium Omnipotentem. ℟. Gaude...

Ave Maria.

8. Gloria tibi sit, haeresum et daemonum Interemptrix! Sis pia nostra Gubernatrix.

℟. Gaude Maria Virgo; gaude millies.

Gloria Patri *etc.*

III.

Pater noster. Ave Maria.

9. Gloria tibi sit, Refugium peccatorum! intercede pro nobis ad Dominum.

℟. Gaude Maria Virgo; gaude millies.

Ave Maria.

10. Gloria tibi sit, orphanorum Mater! fac nobis propitius sit omnipotens Pater. ℟. Gaude...

Ave Maria.

11. Gloria tibi sit, Laetitia justorum! tecum nos perducas ad gaudia caelorum. ℟. Gaude...

Ave Maria.

12. Gloria tibi sit, in vita et in morte Adjutrix praesentissima! tecum nos perducas ad caelorum regna.

℟. Gaude Maria Virgo; gaude millies.

Gloria Patri *etc.*

Oremus.

Ave, Maria, filia Dei Patris; ave, Maria, Mater Dei Filii; ave, Maria, sponsa Spiritus Sancti; ave, Maria, templum sanctissimae Trinitatis; ave, Maria, Domina mea, bona mea, rosa mea, regina cordis mei, mater, vita, dulcedo, et spes mea carissima, imo, cor meum et anima mea; tuus totus ego sum, et omnia mea tua sunt, o Virgo super omnia benedicta. Sit ergo in me anima tua, ut magnificet Dominum; sit in me spiritus tuus, ut exsultet in Deo. Pone te, Virgo fidelis, ut signaculum super cor meum, ut in te et per te Deo fidelis inveniar. Largire, o benigna, ut illis annumerer quos tamquam filios amas, doces, dirigis, foves, protegis. Fac ut, amore tui, terrenas omnes spernens consolationes, caelestibus semper inhaeream, donec in me, per Spiritum Sanctum, sponsum tuum fidelissimum, et te fidelissimam ejus sponsam, formetur Jesus Christus Filius tuus, ad gloriam Patris. ℟. Amen. B. Lud. Maria Grignion de Montfort.

TRES PETITIONES B. GERTRUDIS

ad Beatam Virginem pro digna dispositione ad s. Communionem.

Leg. Div. Am., lib. IV., c. 40.

1. Castissima Virgo Maria, rogo te per illam innocentissimam puritatem, qua Filio Dei, in utero tuo virginali, placitam mansionem praeparasti, ut tuis precibus ab omni macula merear emundari.

2. Humillima Virgo, rogo te per profundissimam illam humilitatem, qua super omnes choros Angelorum et Sanctorum meruisti exaltari, ut tuis precibus suppleantur omnes neglegentiae meae.

3. Amabilissima Virgo Maria, rogo te per singularem ac tantum illum amorem, qui sanctam animam tuam inseparabiliter Deo conglutinavit, ut tuis precibus praestetur mihi copia requisitorum meritorum. Amen.

OBLATIO B. MARIAE VIRGINI

(Ven. Vincentius Pallotti.)

Immaculata Mater Dei, Regina caelorum, Mater misericordiae, advocata et refugium peccatorum, ecce ego illuminatus et incitatus gratiis a te materna benevolentia large mihi impetratis ex thesauro divino, statui nunc et semper dare in manus tuas cor meum Jesu consecrandum.

Tibi igitur, beatissima Virgo, coram novem choris Angelorum cunctisque Sanctis illud trado, Tu autem, meo nomine, Jesu id consecra; et ex fiducia filiali, quam profiteor, certum mihi est te nunc et semper quantum poteris esse facturam, ut cor meum iugiter totum sit Jesu, imitans perfectissime Sanctos, praesertim sanctum Joseph, Sponsum tuum purissimum. Amen. Ind. 300 d.

ORATIO AD S. JOSEPH

mense Martio et Octobri recitanda.

AD TE, beate Joseph, in tribulatione nostra confugimus, - atque, implorato Sponsae tuae sanctissimae auxilio, - patrocinium quoque tuum fidenter exposcimus. Per eam, quaesumus, - quae te cum immaculata Virgine Dei Genetrice conjunxit, caritatem, - perque paternum, quo Puerum Jesum amplexus es, amorem, - supplices deprecamur, - ut ad hereditatem, quam Jesus Christus acquisivit sanguine suo, benignus respicias, - ac necessitatibus nostris tua virtute et ope succurras. Tuere, o Custos providentissime divinae Familiae, - Jesu Christi sobolem electam; prohibe a nobis, amantissime Pater, - omnem errorum atque corruptelarum luem; propitius nobis, sospitator fortissime, - in hoc cum potestate tenebrarum certamine e caelo adesto; et sicut olim Puerum Jesum e summo eripuisti vitae discrimine, - ita nunc Ecclesiam sanctam Dei ab hostilibus insidiis atque ab omni adversitate defende; - nosque singulos perpetuo tege patrocinio, - ut ad tui exemplar et ope tua suffulti, - sancte vivere, pie emori, sempiternamque in caelis beatitudinem assequi possimus. Amen. **Ind. 300 d. s. i. d.**

Ind. septem annorum totidemque quadragenarum per mensem Octobrem, post recitationem s. Rosarii.

Ad sanctum Joannem Nepomucenum.

Ant. Per Joannis sanctitatem, o beata Trinitas, mentibus da puritatem, corde regnet caritas.

℣. Beatus, qui lingua sua non est lapsus,

℟. Et qui non servivit indignis se.

Oremus.

Deus, qui ob invictum beati Joannis sacramentale silentium nova Ecclesiam tuam martyrii corona decorasti: da, ut ejus exemplo et intercessione ori nostro custodiam ponentes; beatis, qui lingua non sunt lapsi, annumeremur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Ad sanctum Venceslaum.

Ant. Eja ergo, fortis Athleta, dulcis Patrone, Advocate fidelis, exsurge in adjutorium nobis.

℣. Gloria et honore coronasti eum, Domine.

℟. Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Oremus.

Deus, qui beatum Venceslaum per martyrii palmam a terreno principatu ad caelestem gloriam transtulisti; ejus precibus nos ab omni adversitate custodi, et ejusdem tribue gaudere consortio. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Ad s. Thomam de Aquino.

Doctor angelice sancte Thoma, theologorum princeps et philosophorum norma, praeclarum christiani orbis decus et Ecclesiae lumen, scholarum omnium catholicarum caelestis Patrone, qui sapientiam sine fictione didicisti et sine invidia communicas, ipsam Sapientiam Filium Dei deprecare pro nobis, ut veniente in nos Spiritu Sapientiae, ea quae docuisti intellectu conspiciamus, et quae egisti imitatione compleamus; doctrinae et virtutis, quibus in terris solis instar semper eluxisti, participes efficiamur; ac tandem earum suavissimis fructibus perenniter tecum delectemur in caelis, divinam Sapientiam collaudantes per infinita saecula saeculorum. Amen.

Ind. 200 d. s. i. d.

Ad s. Aloysium Gonzaga.

Ant. O quam pulchra est casta generatio cum claritate! Immortalis est enim memoria illius, quoniam apud Deum nota est et apud homines, et in perpetuum coronata triumphat.

℣. Me autem propter innocentiam suscepisti.

℟. Et confirmasti me in conspectu tuo in aeternum.

Oremus.

Caelestium donorum distributor Deus, qui in angelico juvene Aloysio miram vitae innocentiam pari cum paenitentia sociasti; ejus meritis et precibus concede, ut innocentem non secuti, paenitentem imitemur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Ad s. Stanislaum Kostka.

Ant. et vers. ut supra.

Oremus.

Deus, qui inter cetera sapientiae tuae miracula etiam in tenera aetate maturae sanctitatis gratiam contulisti; da, quaesumus; ut, beati Stanislai exemplo tempus instantes operando redimentes; in aeternam ingredi requiem festinemus. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Ad s. Joannem Berchmans.

Ant. Consummatus in brevi explevit tempora multa, placita enim erat Deo anima illius.

℣. Beati immaculati in via.

℟. Qui ambulant in lege Domini.

Oremus.

Concede, quaesumus, famulis tuis, Domine, Deus: ea innocentiae ac fidelitatis exempla sectari; quibus angelicus juvenis Joannes aetatis suae florem consecravit. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Ad s. Gabrielem a Virgine Perdolente.

Deus, qui beatum Gabrielem dulcissimae Matris tuae dolores assidue recolere docuisti, ac per illam sanctitatis et miraculorum gloria sublimasti: da nobis, ejus intercessione et exemplo, ita Genetricis tuae consociari fletibus, ut materna ejusdem protectione salvemur. Ind. 300 d.

Miserere mei, Deus: et exaudi orationem meam.

Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum: sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Miserere mei, Domine: vide humilitatem meam de inimicis meis.

Miserere mei, Deus; quoniam tribulor: conturbatus est in ira oculus meus et venter meus.

Miserere mei, Deus: secundum magnam misericordiam tuam.

Miserere mei, Deus; quoniam conculcavit me homo: tota die impugnans tribulavit me.

Miserere mei, Deus, miserere mei: quoniam in te confidit anima mea.

Miserere mei, Domine, quoniam ad te clamavi tota die: laetifica animam servi tui, quoniam ad te, Domine, animam meam levavi.

Miserere nostri, Domine, miserere nostri, quia multum repleti sumus despectione.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Oremus.

Domine Jesu Christe, qui neminem vis perire, et cui nunquam sine spe misericordiae supplicatur, nam Tu dixisti ore sancto tuo et benedicto: Omnia, quae-

cumque petieritis in nomine meo, fient vobis; peto a te, Domine, propter nomen sanctum tuum, ut in articulo mortis meae des mihi integritatem sensus cum loquela, vehementem contritionem de peccatis meis, veram fidem, spem ordinatam, caritatem perfectam, ut tibi puro corde dicere valeam: In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum: redemisti me, Deus veritatis, qui es benedictus in saecula saeculorum. ℟. Amen. (S. Vincentius Ferrerius.) Ind. 300 d.

Domine Deus meus, jam nunc quodcumque mortis genus prout tibi placuerit, cum omnibus suis angoribus, poenis ac doloribus de manu tua aequo ac libenti animo suscipio.

PRO INFIRMO

Domine! quem amas, infirmatur. Veni et salva eum.

℣. Salvum fac servum tuum.

℟. Deus meus, sperantem in te.

Oremus. Omnipotens, aeterne Deus, salus aeterna credentium, exaudi nos pro famulo tuo infirmo *N.*, pro quo misericordiae tuae imploramus auxilium, ut reddita sibi sanitate gratiarum tibi in ecclesia tua referat actiones. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Maria, salus infirmorum, ora pro eo.

PRO DEFUNCTIS

Psalmus *De profundis* pag. 10.

Oremus.

Deus, qui inter apostolicos sacerdotes famulos tuos pontificali seu sacerdotali fecisti dignitate vigére: praesta, quaesumus; ut eorum quoque perpetuo aggregentur consortio.

Inclina, Domine, aurem tuam ad preces nostras, quibus misericordiam tuam supplices deprecamur: ut animam famuli tui *N.*, quam de hoc saeculo migrare jussisti, in pacis ac lucis regione constituas, et sanctorum tuorum jubeas esse consortem.

Quaesumus, Domine, pro tua pietate miserere animae famulae tuae *N.*: et a contagiis mortalitatis exutam, in aeternae salvationis partem restitue.

Deus, veniae largitor et humanae salutis amator: quaesumus clementiam tuam; ut nostrae congregationis fratres, propinquos et benefactores, qui ex hoc saeculo transierunt, beata Maria semper Virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuae beatitudinis consortium pervenire concedas.

Fidelium, Deus, omnium conditor et redemptor: animabus famulorum, famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum; ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

JESU, AUCTOR CLEMENTIAE,
Totius spes laetitiae,
Dulcoris fons et gratiae,
Verae cordis deliciae!

2. Jesu, flos Matris Virginis,
Ardor nostrae dulcedinis,
Laus, honor tibi Numinis,
Regnum beatitudinis!

3. Amor Jesu dulcissimus,
Et vere suavissimus,
Plus millies gratissimus,
Quam dicere sufficimus.

4. Hoc probat tua passio,
Hoc sanguinis effusio,
Per quam nobis redemptio
Datur Deique visio.

5. Jesu mi bone, sentiam
Amoris tui copiam,
Da mihi per praesentiam
Tuam videre gloriam.

6. Jesu, summa benignitas,
Mira cordis jucunditas,
Incomprehensa bonitas,
Tua me stringit caritas.

7. Jesu, sole serenior,
Et balsamo suavior,
Omni dulcore dulcior,
Ceteris amabilior.

8. Cujus gustus sic afficit,
Cujus odor sic reficit,
In quo mens mea deficit,
Solus amanti sufficit.

9. Tu fons misericordiae,
Tu verae lumen patriae,
Pelle nubem tristitiae,
Dans nobis lumen gloriae.

10. Jesum sequamur laudibus,
Votis, hymnis et precibus,
Ut nos donet caelestibus
Secum perfrui sedibus. Amen.

LAETAMINI, UNANIMI, VOS POPULI!
Sint cantica dulcisona, gratissima.
Ave, Jesu, Verum Manhu, Christe Jesu!
Sis Hostia, Spes, Gloria, Victoria.

2. Accurrite, comedite et bibite!
Nox abeat, Lux fulgeat, Vox repetat:
Ave, Jesu...

3. Christicola, considera miracula!
Dic species laudabiles, mirabiles.
Ave, Jesu...

4. Sit canticum mellifluum perpetuum:
O Charitas, O Bonitas, O Veritas!
Ave, Jesu...

5. Omnipotens, Misericors, hominibus
Angelicum dat ferculum, dat poculum.
Ave, Jesu...

6. Innocue da vivere, pacifice,
Te cupiam, Te diligam, Te videam.
Ave, Jesu...

CHRISTE VIVENS HOSTIA,
Sacramenti gratia
Das tuam praesentiam.

2. Deus amantissime,
Mala nostra deprime
Et affectus imprime.

3. Benedicant omnia
Nostra te praeconia,
Intimis visceribus.

4. Salve saluberrima,
Salve Lux pulcherrima,
Tota nobis luceas.

5. Hostem dona vincere,
Vanitatem spernere,
Et quod doces credere.

6. Omnem fuga maculam,
Cordis nostri nebulam
Aufer Christe optime.

7. Fac nos tecum vivere,
Apud te quiescere
Et te tandem cernere.

8. Corpus tuum nobile,
Cui nihil simile
Pandat nobis patriam.

9. Ibi super aethera
Patris es in dextera,
Patri monstras vulnera.

10. Salva nos et redime,
Genitor piissime,
Quos tu amas intime. Amen.

O ESCA VIATORUM,
O panis Angelorum,
O manna caelitum:

Esurientes ciba,
Dulcedine non priva
Corda quaerentium.

2. O lympha, fons amoris,
Qui puro Salvatoris
E corde profluis:

Te sitientes pota,
Haec sola nostra vota,
His una sufficis.

3. O Jesu, tuum vultum
Quem colimus occultum
Sub panis specie:
Fac, ut remoto velo
Post libera in caelo
Cernamus facie.

O PANIS DULCISSIME,
O fidelis animae
Vitalis refectio.
O paschalis victimae
Agnus mansuetissime,
Legalis oblatio.

2. Caro carens carie,
Quae sub panis specie
Celaris divinitus,
Victu multifarie
Recrea nos gratiae
Septiformis Spiritus.

3. Fac, refecti poculis
Sanguinis et epulis
Tuae carnis optimis,
Saeculorum saeculis
Epulemur sedulis
Veritatis azymis.

CANTICA DE PASSIONE

Domini nostri Jesu Christi.

SALVETE CHRISTI VULNERA,
Immensi amoris pignora,
Quibus perennes rivuli
Manant rubentis sanguinis.

2. Nitore stellas vincitis,
Rosas odore et balsama,
Pretio lapillos indicos,
Mellis favos dulcedine.

3. Per vos patet gratissimum
Nostris asylum mentibus;
Non huc furor minantium
Umquam penetrat hostium.

4. Quot Jesus in praetorio
Flagella nudus excipit,
Quot scissa pellis undique
Stillat cruoris guttulas.

5. Frontem venustam, proh dolor!
Corona pungit spinea,
Clavi retusa cuspide
Pedes manusque perforant.

6. Postquam sed ille tradidit
Amans volensque spiritum,
Pectus feritur lancea,
Geminusque liquor exsilit.

7. Ut plena sit redemptio,
Sub torculari stringitur;
Suique Jesus immemor,
Sibi nil reservat sanguinis.

8. Venite, quotquot criminum
Funesta labes inficit:
In hoc salutis balneo
Qui se lavat, mundabitur.

9. Summi ad Parentis dexteram
Sedenti habenda est gratia,
Qui nos redemit sanguine,
Sanctoque firmat Spiritu. Amen.


O CAPUT CRUENTATUM
Spinarum acie,
Consputum, verberatum,
Orbatum specie;
Fac meam serta spissa
Cervicem quatiant,
Ut humiles demissa
Jam sensus nutriant.

2. O Caro trita nodis
Immanis militis,
Ignara licet fraudis
Pungendi fomitis;
Fac mea, labe tersa,
Quae sordent, fugiat,
Ac sanguine conspersa
Quae nitent sapiat.

3. O pulchrae clavis Palmae
Praefixae stipiti,
Dispensatrices almae
Amoris inclyti;
Configite me cruci,
Ut mihi moriar
Et mundo, vivens Luci
Superna largiar.

4. O Pedes perforati
Furore nimio,
Per vias fatigati
In pacis nuntio,
Fons scatens nostros pedes
Ad opus foveat,
Laborum tot heredes
Nos zelus urgeat.

5. O Cor transverberatum
Longini cuspide,
Quin flammae conquassatum
Ardore validae;
In te da penetrare
Cor meum penitus,
Tuosque respirare
Per sacros halitus.



EXAMEN CLERICI

Romae die 20. XII. 1912, mortuus est in fama sanctitatis alumnus Collegii Germanici *Joannes B. Coassini,* natus Gradiscae 5. XII. 1887, ord. 28. X. 1912. Iuvat hic proponere modum, quo hic juvenis tam excellentem gradum sanctitatis sit assecutus.

Iam in primis exercitiis spiritualibus scripto sibi notavit proposita sua, quae deinde unaquaque die dominica post s. communionem perlegit, rationem sibi reddidit, quomodo eadem observaverit, - deinde SSmis Cordibus Jesu et Mariae proposita denuo consecravit, observare promisit, et ad hoc benedictionem Jesu et Mariae expetiit.

Conscientiam suam sequenti modo discutiebat:

I. DEBEO FIERI SACERDOS PIUS:

1. An odium contra vitam praeteritam a me conceptum non est debilitatum? - An sum adhuc firmiter resolutus nullum peccatum deliberate admittere? - Peccavi? - Perseveravi in peccato? -

2. An omnia exercitia pietatis maxima cum exactitudine, sine qualibet abbreviatione et disgustu peregi? Quales fructus inde percepi? - In specie:

a) ex meditatione: Praeparavi diligenter puncta? Feci serio? Notavi lumina?

b) e sancta Missa? - e s. Communione? - ex confessione? -

c) ex oratione vocali: Accessi animo recollecto? - Expulli tranquille, sed serio distractiones? - Observavi externam decentiam?

d) ex examine conscientiae: Percurri serio omnia puncta? - Feci examen particulare?

e) e meis devotionibus privatis: SSmi Cordis Jesu, B. Mariae V., Visitationis SSmi, sacri Rosarii, Viae crucis? - Adhibui preces jaculatorias? -

f) e lectione spirituali privata: legi omni die hora fixa?

II. DEBEO FIERI SACERDOS BENE INSTRUCTUS:

1. An serio studiis incumbebam? - Cum recta intentione? An assiduo, non pro meo gustu solum? - An non fui pusillanimis? - An in difficultatibus recurrebam ad Deum? -

2. An studui primo loco scientiis in schola traditis? - An lectionibus scholasticis attentionem praestiti? - Quantum tempus impendi scientiis secundariis? Quot minutas perdidi?

III. DEBEO FIERI SACERDOS SOLIDI CHARACTERIS:

An habeo seriam voluntatem proficiendi in vita spirituali? - An passionem praedominantem opprimere studebam? - An fui humilis? - An opera interna mea admiratus sum, alterius autem parum aestimavi? - An ad laudem meam locutus sum? - An mortificationi studui? - Quales supra me reportavi victorias respectu gulae et commoditatis? - An vigilanter custodivi phantasiam, affectus cordis, oculos meos? - An observavi strictissime regulas? - An signo dato statim surrexi? - Quomodo observavi silentii regulam?

IV. DEBEO FIERI SACERDOS BENE EDUCATUS:

1. An respectum habui erga superiores? An fui convenienter apertus? - An susceptibilis? Inobediens? - An libenter illos judicavi? - An totus agendi modus spiritu fidei dirigebatur? - 2. An fui affabilis erga socios? - obsequiosus? - cum omnibus aequalis? - An fui praepotens? - inurbanus? - in iudicio severus? - An loquendo non deliqui de aliis? - 3. An omnibus bono exemplo praecessi? - An solatio fui sociis? - Suavitate morum? - Bene disserendo? - Promptitudine praestandi parva et praesertim minus grata obsequia?

Ad quaenam puncta volo speciali modo hac hebdomada attendere? -

Ecce via secura ad sanctitatem!

Typographia
KRYL & SCOTTI
Nový Jičín, Moravia

